



**Ad omniu? [m] ordinum reip. Christianae principes uiros,  
populumq[ue] Christianum, relatio fidelis Theodori Bibliandri:  
quo?d a? solo Verbo filioque Dei tum exacta cognitio  
praesentium temporum & futurorum, atq[ue] ipsius etiam  
Antichristi, maximae pestis totius orbis, tum recta optimaq[ue]  
moderatio republicae et totius uitae Christianae petenda sit.**

<https://hdl.handle.net/1874/406636>

4

# Ad omniū ordinum

## REIP. CHRISTIANAE

Principes uiros, populumq; Christianum, Relatio fi-  
delis THEODORI BIBLIANDRI: quod à solo  
Verbo filioq; Dei tum exacta cognitio præsentium  
temporum & futurorum, atq; ipsius etiam Antichri-  
sti, maximæ pestis totius orbis, tum recta optimaq;  
moderatio reipublicæ et totius uitæ Chri-  
stianæ petenda sit.

Esaïæ 8.

Nunquid non populus à Deo suo requiret uisionem pro  
uiris & mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.  
Quod si non dixerint iuxta uerbum hoc,  
non erit eis lux matutina.

B A S I L E A E,

1545.

*Ab omnibus ordinibus*

*Etiam carissimis fratris*

*Qui sunt in aliis ecclesiis*

*Anglicana*

*Anglicana*

# AD OMNIVM ORDINVM

REIP. CHRISTIANAE PRINCIPES VIROS  
populumq; Christianum relatio fidelis: quod à solo  
Verbo filioq; Dei, tum exacta cognitio temporum  
præsentium et futurorum, et ipsius Antichristi  
petenda sit, tum reipubl. & totius uitæ  
Christianæ moderatio.

*Causæ ob quas editum est hoc scriptum, cum  
descriptione præsentis status  
Ecclesiastici.*



VANTVM CVNQVE opis  
aut consilij homines homini-  
bus conferre possunt in ma-  
gno periculo & rebus affli-  
ctis, id uniuersum, uiri Princi-  
pes, & omnes ciues sacrosan-

ctæ Reipubl. Christianæ, hoc tempore catholi-  
ca Dei Ecclesia optimo suo iure postulare uide-  
tur à nobis omnibus, qui uolumus ipsius filij et  
membra censi. Quisquis enim præsentem po-  
puli Christiani statum, & quasi faciem totam  
fuerit contemplatus, & eam contulerit cum ora-  
culis diuinis, atq; omnibus retro ætatibus, quo-  
rum aliqua memoria superest inter homines, is  
procudubiò intelliget, Ecclesiā Christianam,  
quæ in terris etiamnum sub Imperatoris IES V  
Christi signis salutaribus militat, nunquam uel

cicatricibus pluribus & foedioribus corruptæ doctrinæ & disciplinæ deformatam, aut maioribus implicitam periculis, aut grauiori onere omnis generis calamitatum oppressam fuisse.

*Vitia et errores & superstitio, que irreper-ferunt in Ecclesiam.* Nam qui circumferet oculos per omnes ordines reipub. & collustrabit ætates & gradus hominum, sexum, studia, professiones, in plerisque animaduertet foedam & crassam ignorationem tum sui ipsius, tum Christi Domini: apud alios

pertenuem & quasi umbratilem notitiam, ac multo plus uane ostentationis, quam solidæ cognitionis. Atq; in eorum uita uniuersa, qui Christo summo regi, maximoq; & sanctissimo pontifici dicati & consecrati sunt, permodicæ extant significationes charitatis, pro manantis è corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, seq; per omne genus officiorum atq; bonorum operum exerentis. Et utinam in multis superest let aliqua species integratæ & sanctimoniacæ Christianæ, aut saltem uestigia humanitatis alicuius reliquæ: & non omnibus rebus turpibus superrarent eos etiam, qui discrepant à Christo nomine atq; professione. Quos perditissimam uitam agere, uel potius mortem perpetuam, minus est mirandum: siquidem à Christo, hoc est, à uia salutis, & ueritate, & uita alieni sunt. Nam uerutia atq; calliditas, & carnalis prudentia, quæ Deo stultitia est & abominatio, sapientia summa

ma iam existimatur. Audaciaqp malorum facinorum, & temeritas, pertinaciaqp in reb. pessimis, & cor nescium pœnitere, fortitudinis & constatitiae nomen obtinuit. modestia uero, & illa pulcherrima uirtus temperantiae, quæ modum & ordinem uitæ præscribit, iuberqp tum dicere tu facere, quod deceat et conueniat personis, locis, temporibus, illa ipsa ridetur et friget apud Christianos plerosqp, quibus dictum est: Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Non pauci enim tam effreni libidine sese effundunt, ut appareat eos nullius rei pudere, quam honestatis & modestiae. Estqp stuproru et adulterioru impunitas, et nimia licentia, petulantiaqp linguaru et calamoru gentilib. et poëtis quidem satyricis, & ueteris comedice scriptoribus indigna. Postremo in rebus omnibus perspicitur, ut uno uerbo rem immensam comprehendam, perditissimus luxus. Esurientibus interim, & sitiensibus, & frigentibus, imò præ inopia rerum morientibus ijs, quos Dominus Christus diligenter commendauit souendos, tanquam sua ipsius membra, quæ ob salutem nostrâ tradidit in durissimos cruciatus, & mortem crucis. Iam dudum autem oppressis atqp deletis legibus bonis, quas uel natura & naturæ opifex Deus me ti humanoæ inscripsit, uel per homines sapientes literis mandatae sunt, ad rectam uitæ institutio-

nem, iustitia passim negligitur. unde cernuntur omnia plenissima esse dolis, fraude, perfidia, insidijs, proditione, latrocinijs. nihilq; propemodum satis fidum ac tutum est inter socios, inter ciues, inter amicos, inter affines & cognatos. & putat sibi, neq; sine causa, metuendum esse, domesticus à domestico, coniunx à coniuge, frater à fratribus, parens à liberis. Iampridem publica iudicia suam uim & integritatem perdiderunt: nec debita reuerentia exhibetur iuri diuinno, aut humano: legesq; uenales prostant: & sententiæ non ex dignitate personarum & negotiorum, sed ex priuato commodo, et arbitrio affectuum & cupiditatum feruntur. Præterea, Dei sancta religio, sine qua uel singuli homines, uel totæ politiæ diutius feliciter agere non possunt, non magis quam corpus sine anima uiuere, proculcata humi facet: contrà uero splendide uendantur, et reperiunt emptores auidos, & habentur in maximo precio, ut sacrosancta & adoranda, quibus Dominus Deus exercituū reclamat, quæ uetus disertis uerbis, quæ odit, quæ detestatur ut res maximè abominandas. Utq; rem latissimi ambitus in pauca redigam, posteaquam arripuerūt Ecclesiæ gubernacula homines, non tantum inanem speciem pietatis præ se gerentes, cuius tamen uirtutem ignorant, uerum etiam conflati & concreti ex aper-

tis

tis maleficijs, & quos Ecclesia iure optimo ueluti grauissimam sentinam ejceret, influxit in nauiculam Christi, in societatem sanctorum, magna colluuius sceleratorum & impiorum hominum: ut nihil propemodum sit tam turpe factum, aut tam feedum dictu, aut tam absurdum & horrendum auditu, aut immane cogitatu, cuius non extent aliquot exempla inter homines titulotenus Christianos, & quod non audeant nec pauci numero, nec insimae sortis aperta fratre in oculis Dei & hominum patrare. Iam uero quis Morbi.. enumeraret morbos, non modo ueteres & consuetos, uerum etiam nouos, insolitos, inauditos, quorum neque remedia, neque certas causas periti medici ex doctrina sua possunt inuenire, quibus nunc populus Christianus conficitur, & sentit, si modo ullus sensus adhuc uiget, Dei flagella parata & intentata peccatoribus; nec tam se reduci patitur ad Dominum, & patrem percutientem. Quot funera his annis quadraginta in omnibus locis dedit lues dira, et pestilens aer, & immanium ferarum incursiones: quanta est charitas et penuria omnium propere rerum, quae ad humanum uictum pertinet: quot homines miseris modis cruciavit fames: quam partim bellicae uastationes inuixerunt, partim artificia crudelia hominum auarorum, partim ferrea terra, quae indigne fert onus importabile incola

Penuria  
rerum &  
charitas.

rum subinde irritantium flagitijs & impietate  
rerum opificem, & cœlum superne in duritiam  
æris conuersum, ut demittat nō benedictionem  
Domini, qua omnia fœliciter proueniunt, sed  
maledictionem in domo & in agro: sicuti uerax  
& iustus Deus uerbo suo minatus est. Quoties  
uidimus intra paucos annos deficere solem &  
lunam: quām horrificos ignes cometarum:  
quot monstroſi partus: quām crebra portenta  
in aëre, in aquis, in terra subinde incurruunt, &  
percellunt nostros sensus, ut circumspiciamus,  
quo in statu sint res posita: quæ naturæ mira-  
cula, & insolitæ faciem mundi, non carere signi-  
ficationibus, sed prænunciare imminentia ma-  
la, nisi homines pietate atq; morum emendatiōe  
iratum numen placent, seçp telis ingruitentibus  
eripiant, docet supremi architecti tum sapientia,  
tum potentia, tum constantia in operibus omni-  
bus: qui mūdum ordine pulcherrimo digessit,  
omnesçp partes adstrinxit perfectissimis legib.  
quæ haudquaquam sine magna causa mutan-  
tur. Testatur idem uoces diuinarum literarum,  
& doctrina excellentium uirorum, qui cœli &  
astrorum, & uniuersæ naturæ rationes diligen-  
tius peruestigarunt. idem docuit & comproba-  
uit experientia multorum seculorū. Ac nostra  
quidem ætate, præfagia hæc non esse inania, te-  
statur publica omnium quærela de nostris tem-  
poribus

## F I D E L I S R E L A T I O .

poribus: neq; dubitant multi homines p;ij & sa-  
pientes, quorum animos precipue mouere solet  
diuina potentia, ut præfigiat res euenturas, ex-  
trema fata imminere mundo, aut certe insignem  
aliquam omnium rerum uicissitudinem: post-  
quam tota natura hominum degenerauit in feri-  
nam barbariem & immanitatem. Cernimus e-  
nim orbem Christianum bellis exteris & inte-  
stinis, atq; pestiferis seditionibus inflammatum  
esse, & tam Principes uiros, quam plebeios ca-  
pitalibus odijs mutuum flagrare, multisq; ho-  
minibus dicam an belluis pacem (qua nihil est  
pulchrius, nihil iucundius homini, nihil pre-  
ciosius aut melius in rebus humanis) esse inui-  
sam, & uideri onus intolerabile. Quuq; hostes  
gentili feritate atq; odio nominis Christiani a-  
trociissime saeuiant in populum qui Christi no-  
men gerit, magnâq; uim sanguinis humani fun-  
dant, & plurimos terra mariq; occidant, multos  
in durissimam seruitutem trahant, omniaq; mi-  
sceant ferro, flamma, cōtumelijs non dicendis,  
in omnem ætatem & sexum, prædis, uastationi-  
bus, cædibus, cadaueribus hominum: parùm  
tamen eis cedere uidentur nominetenus Chri-  
stiani, ne dicam æquare, aut etiam superare, qui  
tam leuibus & friuolis de causis bella mouent,  
eaq; gerunt per extremam crudelitatem & iniu-  
stitiam, & funestissime finiunt. Postremo, ut di-

B cam

Schismata & sectæ. cam, quod magis ne admirandum et stupendum, an uituperandum, an deplorandum sit, nescio, quodque dicere totus perhorresco. Dicam tamen, principes Christiani, et omnes socii huius nominis longè sacratissimi, quia uerum est: & ut dicitur simpliciter, & diligentissime expendatur, nostra omnium interest. Quum enim populus Christianus totus contineri debeat uno regno et imperio, una ciuitate, una domo, uno templo & ecclesia, uno denique corpore, cuius caput Christus, Christi autem caput Deus est: quoniam legibus ipsisdem, quae in scriptura canonica ueteris & noui testamenti continentur, eademque religione teneatur; sitque unus Deus omnium, una fides orthodoxa, unum baptisma in remissionem peccatorum, una synaxis & communio corporis & sanguinis Dominici, unus mediator Dei & hominum, unus Iesus Christus uerus Deus & uerus homo: peculum tamen Domini, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, & sanguine filij Dei redemptus, in plures sectas & partes, easque contrarias diuisus, scissus, lacertus, disceptus est, quam omnes populi & nationes, quae hodieque miserabiliter uagantur extra septa Ecclesie Christianæ, neque agnoscunt Messianum benedictum: qui ut promissus fuit ab origine mundi, uarijsque typis figuratus, summoque expectatus desiderio ab omnibus sanctis patrib. ita

ta prefinito tempore exhibitus est unicus seruator totius mundi, prolixè impletis omnib. oraculis. Ut enim prætermittā silentio Græcos, Armenios, Georgianos, Iacobitas, Abasianos, & alios populos, gaudentes nomine Christiano, etiā si ab ecclesia et curia Romana plurimū discrepant in multis reb. quotsunt in ecclesia Romana, quā inconsutili tunicae domini Christi similem dicunt, particulæ diuersissimi coloris & generis: quot sunt familiae et sectæ monachorū & fratrū nouitiorū, qui sibi nouos patres et magistros super terrā adpotarunt: qui putat pulchrius et reli giosius, appellari Benedictinos, Augustinianos, Dominicanos, Frāciscanos, q̄; nudo & simplici nomine Christiano contentos, studere uni Christo, et eum, quantū ab homine per Dei gratiam fieri potest, imitari, atq; ad ipsius simplicissimam regulam, cæterū perfectissimam, instituere uitæ ordinē, & eius uestigij insistere, qui absolutissimum exemplū pretulit, quod sequamur tutò: qui via, qui ostiū unicum est regni coelorū. Quid autem cōmemorem theologos & doctores eximios, atq; magistros ecclesiarum episcopos: qui sal terræ, qui mudi lumina, qui duces et moderatores uitæ, qui mallei hæreticorū, qui animarū pastores, successores apostolorū, qui Ecclesiæ clavigeri & ianitores, colunæ, propugnacula, capitæ deniq; & uideri & salutari cupiunt: quam acerbè

et hostiliter inter se digladiatur non modo de sa-  
cerdotijs, et dignitatib. et prouincijs, ueruetiam  
de articulis & capitibus fidei Catholicæ; quām  
pertinaciter disputant & rixantur in doctrina  
Christianæ, & dogmata simplicissimæ ueritatis  
in dubiū uocant: de quib. nimirum altercantes  
cītius amittent ueritatē, quām ut ueritatem pla-  
niorem faciant. Quām crudeliter chartis denta-  
tis se mutuū proscindunt: et calamos, uel potius  
pugiones ueneno aspidū & scorpionū tinctos  
stringūt in fortunas, in caput, in uiscera, in ani-  
mā deniq; si possint, eorū quos ut charissimos  
in Domino fratres amplecti cōueniebat: si Chri-  
stiani, & filij patris cœlestis, atq; fratres Domi-  
ni Christi haberi, et reuera esse uellēt: Qua teme-  
ritate aut̄ crimen atrocissimum hæreseos impin-  
gitur ihs, quos nullius hæreseos aut schismatis,  
aut defectionis ab Ecclesia catholica, quos nul-  
lius erroris minimi, qui perfidiam sapiat, conui-  
cerunt, ac ne conuincere quidē possunt scriptu-  
ris authēticis, atq; inde petitis rationibus: Dam-  
nant tamen isti factiosi homines, præteritis legi-  
bus Christi, & Apostolorum, atq; ipsius æquita-  
tis, homines innocentes: & quantū in ipsis qui-  
dem est, à Christi corpore amputant. mox diris  
anathematismis ab Ecclesia rescissos, uinculis la-  
tæ excōmunicationis constringunt, eosq; cathe-  
nis Vulcaneis innodatos obijciunt odijs homi-  
num,

num, periculis, spoliationibus, infamiae ultimæ, persecutionibus infinitis, quantæ nō solent intentari etiam aperte facinorosis: quando publicani rerum sacrarum, & symoniaci magna pollet gratia, & in summa dignitate uersantur. Sed quid multis uerbis describo Ecclesiæ miserrimam conditionem, quum res ipsa clamet, Ecclesiam Christi, quæ in terris uersatur, & ad quam iudicia hominū non prorsus ignarorum diuinæ literaturæ attingere possunt, nunquam periculis maiorib. obiectam fuisse, neq; iactatam saeuiori- bus tempestatibus calamitatum, neq; pluribus erroribus, superstitione, uitij, sceleribusq; contaminatam fuisse? Nam caput Ecclesiæ aggressus est satan, atq; in fastigium domus Domini, in apicem ministerij sacri euasit audacia, superbia, auaricia, scelus, impietas, abominatio. Quandoquidem in populo Christiano dominatum obtinuerunt, eumq; impudentissime homines corruptianimi, sibi à Christo traditum esse mentiuntur. Volunt etiam haberi, dici, adorari pro sapietissimis et religiosissimis atq; optimis uiris, pro patrib. reuerendissimis in Christo, pro apostolicis, catholicis, sanctissimis, beatissimis, atq; adeò pro legitimis uicarijs Christi et Dei: quo- rum doctrinam & ceremonias peregrinas, ingenia etiam & mores, & facta, uel potius enormia maleficia, si paulo pressius ad lucernam Verbi

diuini inspicias, & non pīgeat examinare in sta-  
tera ueritatis, intelligetur eos antichristos ma-  
gis ad unguem exprimere, quām quod referant  
patres ecclesiasticos, et apostolicos seruos Chri-  
sti & Ecclesiae, aut saltem umbrā tenuem Chri-  
stiani hominis. Et tales tamen ac tantos titulos  
non solū recipiū libenter, & agnoscunt spon-  
tē oblatos apostolici uiri, sed etiam flagitant ac  
requirunt ex iure quodam pontificio, aut etiam  
ui extorquent. Et parūm esset à uulgaribus ho-  
munculis hæc postulare, nisi etiam postularent  
subiectionem seruilem ab urbiū clarissimarum  
magistratibus, à magnis principibus, regibus,  
imperatoribus populi Christiani: à quibus etiā  
exigūt suo iure adorationes humilimas, & oscu-  
la pedum, atq; ante omnia exaltationem suæ se-  
dis, ut uocat, Apostolicæ: parūm memores uer-  
borum sanctissimi apostoli Petri, Ecce domine  
reliquimus omnia, & te secuti sumus. Immemo-  
res diuini Pauli, dicētis: Mihi absit gloriari, ni-  
si in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem  
mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.  
Immemores uerborum Domini, quibus repu-  
lit duos Zebedei filios per matrem supplican-  
tes, ut proximi sederēt Christo in regno ipsius,  
alter à dextris, alter à sinistris. Omnibus q; apo-  
stolis & uiris apostolicis præscripsit, non princi-  
pes agere, sed exemplo suo ministrare. Isti aut̄ a-  
posto-

postolorū successores, si dīs placeat, quum neq; cognatione Iesum Christum attingant, ut filii Zebedei; neq; apostolos animi & morū integritate, & rerum diuinarum peritia, et præclaris factis ulla ex parte referant: audent tamen postulare, & iactare, quo d se deant non à dextris & sinistris in regno Christi, sed in loco sancto ipsius, in throno maiestatis regie & pōtificiæ, quodq; omnem potestatē et iurisdictionem ipsius teneant, ritē obeundo ipsius munera. Neq; desunt principes, qui arma sibi omnia p̄menda putent, et opes atq; uires uniuersas, ad tuendū, & conseruandum, & augendum res hominum istorum: utq; pro uirili sua coērceant eos, qui amplitudini sedis, ut istorum uerbo appellatur, apostolice officere uidentur. Quod equidem in quibusdā principibus per se nō malis, non perinde miror. Si quidem domi habent eiusmodi sphinges, & magistros exercitatos in artibus istius scholæ, & fautores curiæ iuratos, à quibus discere hæc possunt, tum in consilijs publicis, tum in arcanis et auricularibus confessionibus: ut existimēt se arcili. sacramentis obstrictos, ut brachio seculari tueantur dominatū Romani pontificis, à cuius etiam sede stat non parua turba hominū excellentium ingenio & eloquentia, neq; experitum literaturæ multiplicis: quorum etiam pars sanctuli uideri uolūt. Atq; hi usque adeò non indigne

digne ferunt istos immoderatos titulos in ministris Ecclesiæ, qui reprehendendi essent etiam in Herodibus, & Antiochis, & Pharaonibus: quod mortalis tot miseris & peccatis obnoxius, haber uult sanctissimus, & beatissimus, & uicarius Christi, et caput Ecclesiæ catholicæ: utetiam extructis molibus mirifici operis conetur unius hominis dignitatem, potentiamq; & amplitudinem extendere, non modò per universa climata orbis habitati, sed etiam ultra globum lunæ usq; ad ccelum empyreum, & ad penitissimos recessus infernalis carceris. Et hinc mirum est quanto studio contendant homines literati, & uiros egregios præstare nitatur, summa ope, tanquam pro focis et aris, atq; ipso Capitolio ecclesiarum totius orbis Christiani certantes: nisi forte quidā sub prætextu religionis & Ecclesiæ defendendæ, pro suis commodis priuatis tam acribus animis, tanto studio, tam pertinaciter contendunt. quod equidem à nōnullis fieri, qui etiam antesignani uideri uolūt, admodum proclive est. An' non uiri Christiani, uobis uidetur hisce nostris temporibus aptissimè quadrare diatum illud Domini? Quum uenerit filius hominis, putas ne quod reperturus sit fidem in terra? Nōne cernuntur nouissima tempora, in quib; finis mundi concludetur? de quibus uaticinati sunt Ioël, Daniel, Zacharias, & alij sancti prophetæ?

*Oracula de  
nouissimis  
temporib.*

## F I D E L I S R E L A T I O .

17

phetæ: de quibus uaticinati sunt apostoli Domini, ueluti Paulus ad Timotheum scribens: Hoc scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipso amates, cupidi, elati, superbi, blasphemati, parentibus non obedientes, ingratiani, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incōtinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, uoluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. & alibi: Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentiū nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatem. Et Petrus apostolus: Fuerunt uero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum Dominum, qui redemit eos, negabunt, superinductes sibi celerem perditionem. et multi sequentur eorum luxurias, per quos via ueritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis uerbis de uobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat; & reli-

2. Petri 2.

C qua.

qua. de quibus Christus Dominus & Deus  
prophetarum & sanctorum spirituum uaticina-  
tus est, coniungens cōsummationē Iudaicæ gen-  
tis cum totius mundi cōsummatione: Erit tunc  
Mat. 29.  
Luc. 17.  
Mar. 12. tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mun-  
di usq; modo, necq; fiet. Et nisi breuiati fuissent  
dies illi, nō fieret salua omnis caro: sed propter  
electos, breuiabuntur dies illi. Tunc si quis uo-  
bis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite  
credere. Surgent enim pseudochristi & pseudo  
prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia,  
ita ut in errorem inducātur; si fieri potest, etiam  
electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uo-  
bis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in pe-  
netralib. nolite credere. Sicut enim fulgur exit  
ab oriente, & apparet usq; in occidentem, ita erit  
& aduentus filij hominis. Vbiq; fuerit cor-  
pus, illuc cōgregabuntur & aquilæ. Statim aut̄  
post tribulationem dierum illorum sol obscura-  
bitur, & luna non dabit lumen suum: & stellæ  
cadent de celo, & uirtutes coelorum commoue-  
buntur, & tunc apparebit signum filij hominis  
in celo. Tunc plangent omnes tribus terræ, &  
uidebunt filium hominis uenientem in nubib;  
celi, cum uirtute multa & maiestate. Et mittet  
angelos suos cum tuba & uoce magna, & con-  
gregabunt electos eius à quatuor uentis, à sum-  
mis coelorum usq; ad terminos eorum. Ab ar-  
bore

bore autem sibi discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est aestas. Ita & uos cum uideritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Coelum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt. De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorum, nisi solus pater. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erat in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usq; ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec uenit diluvium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, & unus assumetur, & unus relinquetur. Duæ molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur. Duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus uester uenturus sit. Quàm horrendam tempestatem nouissimi temporis Laetantius Firmianus impendere metuit imperante Cōstantino magno, de cuius donatione tam gloriose mentiuntur papistici, & quia uir pariter sanctissimus & eloquentissimus hæc nostra tēpora graphicè depinxit, non sine motu spiritus melioris, quando iam primū Syluester Ro. pontifex moliri cœpit funda-

menta papisticæ monarchiæ, & reperta clave a  
byssi puteū aperuit, ex quo locustæ prodierūt,  
& ex locustis rex locustarum Pseudochristus;

non uidentur eius uerba prætermittenda esse.

*Lact. libro 7. Diu. in-  
stit. & in Epitome.* Propinquante, inquit, huius seculi termino, hu-  
manarum rerum statum commutari necesse est,

iam nostra hæc tempora, quibus iniqüitas &  
malicia usq; ad summū gradum creuit, in illius  
tamen insanabilis mali comparatione, felicia  
et propè aurea possint iudicari. Ita enim iusticia  
rarescet, ita impietas & auaricia et cupiditas et li-  
bido crebrescet; ut si qui tū forte fuerint boni,  
prædæ sint sceleratis, diuexentur undiq; ab iniu-  
stis: soli autē mali opulentī sint, boni uero in o-  
mnibus cōtumelijs atq; egestate iactentur. Cō-  
fundetur omne ius, & leges peribunt. Nihil tūc  
quispiā habebit, nisi aut quæsitū aut defensum  
male. Audacia & uis omnia possidebunt: non  
fides in hominibus, non pax, non humanitas,  
non pudor, non ueritas erit: atq; ita neq; securi-  
tas, neq; regimen, neq; requies à malis ulla. Om-  
nis enim terra tumultuabitur, fremēt undiq; bel-  
la; omnes gentes in armis erunt, & se inuicē op-  
pugnabūt. Ciuitates finitimæ inter se præliabū-  
tur: & prima omniū Aegyptus stultarū super-  
stitionū luet penas, & sanguine uelut flumine  
operietur. Tūc peragrabit gladius orbē, metēs  
omnia,

omnia, & tanquam messem cuncta prosternens.  
cuius uastitatis & confusionis haec erit causa,  
quod Romanum nomen, quo nunc regitur or-  
bis (horret animus dicere, sed dicam, quia fu-  
rum est) tolletur de terra, & imperium in Asiam  
reuertetur, ac rursus oriens dominabitur, atq;  
occidens seruiet. Et paulo post: Quomodo aut  
id futurum sit, ne quis incredibile arbitretur, o-  
stendam. In primis multiplicabitur regnum, &  
summa rerum potestas per plurimos dissipata  
& concisa minuetur: tunc discordiae ciuiles in  
perpetuum ferentur, nec ulla requies bellis exi-  
tialibus erit, donec & reges decem pariter exi-  
stant, qui orbem terrae non ad regendum, sed ad  
consummandum partiantur. Hi exercitib. in im-  
mensum auctis, & agrorum cultibus destitutis,  
quod est principium euersionis et cladis, disper-  
dent omnia, & comminuent, et uorabunt. Tunc  
repente aduersus eos hostis potentissimus ab  
extremis finibus plague septentrionalis orietur:  
qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Asiam  
obtinebunt, assumetur in societatem a caeteris,  
ac princeps omnium constituetur. hic insulen-  
tabili dominatione uexabit orbem, diuina et hu-  
mana miscebit, infanda dictu & execrabilia mo-  
rietur: noua consilia in pectore suo uolutabit, ut  
proprium sibi constituat imperium: & leges co-  
mutabit, et suas fanciet: contaminabit, diripiet,  
C 3 spoliabit,

## THEOD. BIBLIANDRI

spoliabit, occidet: deniq; immutato nomine, atque imperij sede trāslata, cōfusio ac perturbatio humani generis consequetur. Tam uero detestabile atq; abominandum tempus existet, quod nulli hominū sit uita iucūda. Euertentur fuditus ciuitates, atq; interibunt non modò ferro atq; igni, uerum etiam terræ motibus assiduis, et eluuie aquarum, & morbis frequentibus, & fame crebra. Aēr enim uitiabitur, & corruptus ac pestilens fiet: & modò importunis imbribus, modò inutili siccitate, nunc frigoribus, nunc aestibus nimis. nec terra homini dabit fructum, nec leges quicquam: non arbor, non uitis feret, sed cum in flore spem maximā dederint, in fruge decipient. Fontes quoq; cum fluminib. arecent, ut ne potus quidem suppetat: & aquæ in sanguinem aut amaritudinē mutabuntur. Propter hæc deficient & in terra quadrupedes, & in aëre uolucres, & in mari pisces. Prodigia quoq; in coelo mirabilia mentes hominū maximo terrore confundent: & crines cometarum, & solis tenebræ, & color lunæ, et cadentium siderum lapsus. Ethæc quidem cū alijs, quæ Laetatijs collegit ex uaticinij utriusq; instrumen ti, eaq; imminere metuit sub Constantino scribens, qui primus ex Imperatoribus Rom. religionem Christianam bona fide amplexus est, magna ex parte impleta esse nouimus, partim geri

## FIDELIS RELATIO,

geri cernimus oculis nostris, tametsi Lactantius  
et alios homines sanctos circumstantiae quædā  
locorum & temporum fugerunt: quas tunc  
temporis nosse, non erat Ecclesiæ necessarium.  
ueluti quod existimauit abominandum tyran-  
num Antichristum ab extremis finibus aquilo-  
nis aduenturū esse, nō satis diligenter perpenso  
uaticinio Ezechielis de Gog & Magog, quod  
in Antiocho rege Syriæ impletum est tempore  
Macchabæorum: qui tamen persecutor populi  
Dei, typum gerit usq; hodie Antichristianæ fa-  
ctionis. In quo errore Iudæi etiam hæsitat ob-  
stinatè, Antimessem cum infestis copijs x. tri-  
buum Israëlis, quas reges Assyrj conluserint  
in montibus Caspijs, & quas Iudæi nominib.  
Gog & Magog significari putant, sub aduen-  
tum Messiae sui expectantes. Ad eundem mo-  
dum hallucinatus est Lactantius in ratione an-  
norum, quibus mundus terminetur, secutus opini-  
tionem aliorū, maximè Chilistarum. Opina-  
ti enim sunt, in cosmopœia & opificio mundi ua-  
ticinium esse propositum, quandiu duraturus  
sit mundus. Sunt enim hæc uerba Lactatiū cap.  
14.lib. 7. Nos autem, quos diuinæ literæ ad sci-  
entiam ueritatis erudiunt, principium mundi, si-  
nemq; cognouimus. et mox: Mundū Deus, &  
hoc naturæ mirabile opus, sicut arcanis sacræ  
scripturæ continetur, sex dierū spacio consum-  
mauit.

mauit, diemq; septimū quo ab operibus requieuit, sanxit. Hic est autem dies sabbati, qui in lingua Hebræorum à numero nomen accepit: unde septenarius numerus legitimus et plenus est. nam & dies septem sunt, quib. per uicem reuelutis orbes conficiuntur annorum, & septem stellæ inæquales motus rerum ac temporum uarietates efficere creduntur. Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, id est sex millia annorum manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorū circulo terminatur, si- cut indicat propheta dicens: Ante oculos tuos Domine mille anni tāquam dies unus. Et sicut Deus sex illos dies in tantis reb. faciēdis laborauit, ita & religionem eius & ueritatem in his sex millib. annorū laborare necesse est, malicia præualente ac domināte, et rursus, quoniā perfectis operib. requieuit die septimo, eumq; benedixit, necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malicia omnis aboleat ē terra, et regnet per annos mille iusticia, sitq; trāquillitas & requies à laboribus, quos mūdus iamdiu perfert. Et cap. 25. Cōpletis annorū sex millibus mutationem istam fieri oportere, & iam propinquare illum summum conclusionis extremæ diem, de signis, que data sunt à prophetis, licet cognoscere. Prædixerūt enim signa, quibus consummatio temporum expe-

expectāda sit nobis in singulos dies, & timēda.  
Quando tamen cōpleatur hæc summa, docent  
h̄, qui de temporibus scripserunt, colligentes  
ea ex literis sanctis, & ex uarijs historijs, quan-  
tus sit numerus annorū ab exordio mundi: qui  
licet uariant, & aliquantulum numeri eorum  
summa dissentiat, omnis tamen expectatio non  
amplius quām ducētorum uidetur annorum.  
Haec tenus sunt uerba Lactantij, de fine mundi:  
quem aberrauisse in supputatione temporū, in  
sequēs ætas redarguit, & Hebraica ueritas, que  
longē minorem numerū ab origine mundi us-  
que ad natalem Domini ponit, q̄z Græcorum  
deprauati codices. Videtur tamē huic opinio-  
ni etiam diuus Hieronymus ad stipulari, quan-  
tum ad sex milenarios annorum attinet, qui  
bus terminentur omnia secula: & fulcire anti-  
quum errorem, qui in multis uiris ecclesiasticis  
locum reperit. Sic enim scribit Michæl. 4. cap.  
Et erit in nouissimo dierū. Siquidem in cōsum-  
matione seculorum in reprobationē peccati per  
hostiā suam Saluator noster apparuit, & unde-  
cima hora ad conducendos operarios uenit.  
Et completa illius passione Ioannes loquitur:   
Nouissima hora est. In sex millibus enim annis,  
si quingēti anni per horas diei singulas diuidan-  
tur, nouissima hora consequenter dicetur tem-  
pus fidei gentium. Admodum autem probabi

D le mihi

le mihi est, rabinos Iudæorū hinc arripuisse occaſionem fingendi traditionem de mundi huius duratione. Quam retulerunt ad scholam Eliæ prophetæ, ne quid uiderentur à Christianis didicisse: eoq; titulo reposuerunt in suum Thalmud, hoc est, in barathrum & pelagus mendaciorum. Nempe mundum sexies mille annos duraturum esse: quorum bis mille ab origine mundi ad circumcidionem Abrahæ traditam inanitati tribuunt: bis mille Mosaicis institutis, & circumcisioni ac foederi cum Abraham icto: bis mille autem Messiae temporibus, fine mundi terminandis. Nec ualde opus erat, à Iudæis mendicare traditiones fruolis cōiecturis nixas, quibus uel nostram doctrinam sempiternæ ueritatis fundamento substructam fulciremus, uel Iudeorum ruinosam et caducariam superstitionem demoliremus. Quod tamen à quibusdam literatis hominibus factum est parum circumspecte, meo iudicio: qui non perpenderunt, nullum dogma Christianum egere figmento humano: necludæos capi coniecturis pugnantibus cum ipsorum superstitione, etiam si ex ipsorum libris proferantur, qui assueuerunt clarissimis testimonijs uerbi diuini contradicere. Non perpenderunt etiam, satanam simulare qd nobiscum faciat, dum conatur euidentissimam ueritatem in suspicionem adducere, aut imitatione

tione ueritatis mendacium insinuare. Etenim quum scripturæ sanctæ Christi tempora uocet. annum placabilem Domini, annus autem constet 365. diebus, & in uaticinijs sacris annus aliquando per diem unum repræsentetur, sicut Ezech. 4. cap. Diē pro anno dedi tibi: cacodæ mon apostolicis temporibus oraculum edidit, nomen Christi nō ultra 365. annos colendum, neq; diutius permanurā esse religionem Christianam. Vnde haudquaquā nouum uideri debet, neq; præconio Euangeliū uitio uerti, neque imputari Ecclesiæ Dei, quod nonnulli malefici homines, imò uani fatidici, temeritate sua præfinierūt limites certos ultimi diei. Quorum aliqui non semel Christianos simpliciores terroruerunt, quasi dies Domini iamiam instaret. Quod etiam factum esse temporibus Apostolorum, diuinus Paulus ostendit 2. cap. secundæ ad Thess. epistolæ, præmonens catholicos aduersus impostorum eiusmodi sermones. Ita enim scribit: Rogamus autem uos fratres per adventum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moueantur à uestro sensu, neque terreamini, neq; per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi infest dies Domini. Ne quis uos seducat ullo modo. Docet enim Paulus, antecessurā diem Do-

D 2 mini,

mini, defectionem, & reuelationem antichristi, qui glorioſo aduentu Domini penitus aboleat. Alij cōtrā in longinquum prophetant, & prorogant Domini Iesuaduentum etiam ultra centum annos, utentes coniecturis non aspernandis, ut iudicari postulant. Sed reuera eiusmodi coniecturis in re maximi momenti utuntur, quas nō didicerūt in Patmo insula, cœlis apertis; sed in Delo, aut Icaro, aut Nephelococcygia, aper-tis cuculorum nidis, huius reconditæ sapientiae thesauros repererunt. Cuiusmodi calculatores temporum & momentorum, quæ pater celestis posuit in sua potestate, qui ne singulis quidem hominibus horam suæ mortis, aut diem, aut mensēm, aut annum patere uult: diuinus Augustinus uerbis diuinis egregie refutat. Nam libro 18. de ciuitate Dei, cap. 53. ita scribit: Illa sanè nouissimam persecutionē, quæ ab antichristo futura est, præsentia sua ipse extinguet Iesus. Sic enim scriptum est, quod eum interficiet spiritu oris sui, & euacuabit illuminatione præsentiae suæ. Hic queri solet, quando istud erit: Importunè omnino. Si enim hoc nobis nosse prædoffet, à quo melius, quam ab ipso Deo magistro, interrogantib. discipulis diceretur: Non enim siluerunt inde apud eum, sed à præsente quæsierūt, dicentes: Domine si hoc in tempore repræsentabis regnum Israel: At ille: Non est, inquit,

inquit, uestrum nosse tempora, quæ pater in sua posuit potestate. Non utiq; illi de hora, uel die, uel anno, sed de tempore interrogauerūt, quando illud accepere responsum. Frustra igitur annos, qui huic seculo remanēt, computare ac definire conamur, cum hoc scire nō esse nostrum ex ore ueritatis audiamus. quos tamen alij qudringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab ascensione Domini usq; ad eius ultimū aduentum compleri posse dixerūt. Quemadmodum autem quisq; eorum adstruat opinionē suam, longum est demonstrare, & non necessarium. Coniecturis quippe utuntur humanis, non a eis certum aliquid de scripturæ canonicae auctoritate profertur. Omnia uero de hac re calcatum digitos resoluti, & quiescere iubet ille, qui dicit: Non est uestrū scire tempora, quæ pater in sua posuit potestate. Sed haec quia Euangeli ea sententia est, mirum est non ea repressos suis deorum multorum falsorumq; cultores, quo minus fingerent demonum responsis, quos tan quam Deos colunt, definitum esse, quanto tempore mansura esset religio Christiana. Hactenus Aur. Augustinus. Et si uero in ecclesia ferendi non sunt, qui mundi finem pro cōperto præfigunt, & tempus breue dimetiuntur, pura dies, aut mēses, aut pauculos annos, intra quos Deus iudicium facturus sit; nam uanam religionem

D 3 iniſciens

inīciendo, faciūt homines securos iudiciorum  
Dei, et contemptores, quia semel & iterum fru-  
stra expectarunt diem Domini. Longē tamen  
nocentiores sunt fatidici, qui longissimos termi-  
nos præfiniunt consummationi leculorum, &  
præsentibus hominibus eximunt omnem solli-  
cititudinem, se adiūcturos esse diem Domini ma-  
gnūm et formidabilem: quem in omnes annos,  
& menses, & dies, & horas expectare docuit  
Christus seruator, & Apostoli, dicentes diem  
Domini adfore de improviso tanquam furem  
in nocte: & proinde imitandos prudentes &  
frugis seruos, qui redditum suorum dominorum  
præstolantur in omnes horas, ut quocunq; tem-  
pore domum redeant, offendant eos in officio  
fideles & diligentes, & paratos. Omnium autē  
pessimi sunt illusores Epicurei, qui prorsus con-  
temnunt uaticinia de ultimo die mundi, & iudi-  
cio generali, quo rependetur unicuiq; id, quod  
gessit in uita. Cuiusmodi pestem abundaturam  
esse, predixerūt Apostoli, & Christus seruator.  
Sic enim scribit Petrus apostolus: Hanc ecce  
uobis charissimi secundam scribo epistolam,  
in qua excito in commonitione sinceram men-  
tem uestram, ut memores sitis eorum, que præ-  
dicta sunt à sanctis prophetis, & præcepti no-  
stri, qui sumus apostoli Domini & saluatoris:  
hoc primum scientes, quod uenient in nouissi-  
mis

F I D E L I S R E L A T I O .

mis diebus illusores, iuxta proprias cōcupiscentias ambulantes, qui dicunt: ubi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. Dominus quoq; Christus in Euangelio prædixit, homines nouissimis temporib. uiicturos securè, sicut in diebus Noë, & in dieb. Lot, ut uoluptuentur, intenti sint lucris, studeat huic seculo, nihil minus, quam iudicium Dei metuentes. In Apocalypsi quoq; præmonuit ecclesiam, fore in nouissimis temporibus, ut bestia, nimirum abominandi tyranni antichristi supremus pugnator, & reges terræ cum suis exercitibus bellum gerant perpetuum aduersus Christum regem regum, et dominum dominantium, atq; exercitum ipsius, & furiant immaniter, insidient, fulminent, deuoueant diris, spoliēt, infamiae notas inurant, proscribant, iugulent, mactent, strangulent, præfocent undis, cōflent ignibus, omnia deniq; faciant, que cunq; antichristianos hostes facere cōuenit usq; ad ultimū diem. Præmonuit nos Christus princeps, fore, ut postq; mille annis regnum cum suis tenuerit, nimirum à prædicato Euangelio inter omnes gentes per Apostolos, & inprimit per Paulum, satan iterū uelut effractis vinculis & carcerib. grassetur in mundo, nō aliter q; fecit, anteq; fortis à fortiore vinciret cathenis euangelice doctrinæ: et seducat Gog

cat Gog & Magog & oēs gentes totius orbis,  
 ut inuadāt castra sanctorū & ecclesiæ sub Christo Imperatore militantis, donec ultio coelestis  
 eos hostes in medijs conatib. opprimat. Neq̄  
 finem certamini fore, donec inuictiss. rex Christus, & æquiss. iudex adueniēs in gloria et maiestate  
 patris bellū dirimat, & deuictis omnib. hostibus, suoq; populo plenissimè liberato, gloriō  
 sissimū agat triumphū. qui bestiam appreheſam, & pseudoprophetam antichristum abominandū, cum tota consipiratione impiorū coniūciet in stagnū gehennæ sulphure et igne ardēs: ubi cum dracone diabolo suo parente sempiternis supplicijs uiui mortuiq; mactentur.

*EPILOGVS PRAEDICTORUM de nouissimis temporibus & consummatione seculi: in quo causæ exponuntur plenius, ob quas editum est hoc scriptum.*

**Q**UAM Igit̄ ita se habeant res ecclesiæ Christianæ, qui non uidet totū corpus sponsæ Christi plagis & ulcerib. obsitū esse à planta pedis usq; ad uerticē, maximē illorū culpa, qui doctrina Christi & Apostolorū & prophetarū relictā, qua fuit ab initio ecclesia rectissimē instituta, inuixerūt nō leuiculos neq; ferēdos errores, & cultus peregrinos atq; superstitiones, sceleſrumq;

rumq; & uitiorū labes, tum sua pestifera doctrina, tum uitæ corruptissimæ exemplo: qui non uidet ecclesiam in freto calamitatum uersari, & iactari sœuiss. procellis periculorū: eum iudico esse hominē prorsus imperitū rerum, aut stupidum planē, aut omnib. sensibus peregrinari in insulis fortunatis, aut campis Elysījs & Babylo-nicis, aut in aurea quadam Hierusalem Iudæorum in nubibus collocata. Qui autem manifestam ueritatem, & sole meridiano clariorem negare audet, uel etiam oppugnare, illum oportet esse hominē duræ frontis, & pertinacissimi animi. Qui uero non anxius est de sua salute atque omnium hominum in tantis periculis atq; agitacione omnium rerum, is mihi nō uidetur plus sapere, quam qui securus omnium dormit in utramq; aurē, dum nauis, qua uehitur, per Syrtes, & cautes & scopulos fluctuat, sœuentib. & luctantibus uentis, ut nauē obruant fluctibus, aut scopolis illisam frangāt. Qualium hominū peruersissimorum fore magnam copiam sub finem mundi, Euangelium Christi nos præmonuit: quales etiam fuerunt in dieb. Noe & Lot, idq; cum suo maximo malo. Ingrati autem in Christum seruatorem & ipsius ecclesiam, & maligni meritò iudicari debent, ne quid asperius dicam, qui hac sœuissima tempestate, quæ toti etiam mundo finem minatur, non intendunt

E omnes

omnes neruos ingenij sui ad communem salutem, neque proferunt à Deo acceptas facultates, tum uoce uiua, tum scribendo, tum alijs modis, quæcunque populo Dei uersanti extremo in periculo consilium suppeditare, aut consolari, aut monere, aut exhortari, aut alio quoquis pacto commodare uidentur. Etsi uero non desunt Ecclesiæ Dei principes optimi, prudentes, magnanimi, qui multis, neque obscuris argumentis declararunt, sibi cordi esse gloriam Christi Domini, & in columitatem ecclesiarum: neque desunt ministri ecclesiarum, qui me ingenerio, & animi fortitudine, & scientia multiplici, & facultate scribendi & dicendi, adhæc uitæ sanctimonia, & omnibus dotibus longè antecellunt: qui simul parati sunt fortiter pugnare pro populo Domini, & pro ciuitate Domini Dei nostri: existimauit tamen me fungiofficio Christiano, si aperte scripto edito me adiungerem paribus melioribus hoc tempore, quo censeo inter socios etiam nominis Christiani, & non tantum inter Christianos & professos hostes nostros certari, utrum ueritas an mendacium suparet, uirtus an uitium, religio an superstition & impietas: Christus deniq; regnet, uincat, triumphet, an antichristus, & pater ipsius diabolus. Quum enim crebri sermones in ore omniū uersent de apparatu bellico in Turcas, et hostes populi

## FIDEI S R E L A T I O .

33

puli Christiani, et feratur frequentiss. conuentū procerum Germaniae inire consilia de instauratione reipub. Christianæ, & circumuolitent libelli publicati de ultimis temporib. ac fine mīdi, in quib. hoc etiā agitur, utrū Pontifex Romānus sit uerus & max. antichristus, an pater sanctiss. atque beatissimus, & uerus uicarius Christi, et caput ecclesiæ catholicæ: impulit me quoque, hominē qualemcunq; Christianū certe nomine, & ministrū ecclesiæ Tigurinæ, zelus dominus Domini, ut in publicū ederem, quaecunq; certa & explorata hisce de rebus habeo. Quod eo libentius feci, quia circumferunt ampulla pontificia indicēs conciliū habendū Tridenti ad Cal. Gr̄cas, errauī, dicere debebā ad idus Martias; ad quartā dominicam in quadragesima: quando in celebratione missæ introitus admodum plausibilis canitur, Lætare Hierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum læticia, qui in tristitia fuistis, ut exultetis, & saturemini ab uberibus cōsolutionis. In eo cōcilio Pontifex Rom. pollicēt se deliberaturū serio felicet de reformāda ecclesia: cui tot annos non uacauit per negotia bellica, ueluti nuper auertendo classem Hairadini Barbarossæ Turcici piratæ à littoribus Latinis, & per alias eiusdem modi pontificias occupationes, inspicere iuxta tritum in scholis puerorum, uersiculum,

E 2 Aedib.

Aedib. in proprijs, quæ iusta aut prava gerant.  
Quasi uero Pontifex Romanus is sit, qui uelit  
aut possit ecclesiæ afflictæ consilium & auxi-  
lia conferre, & non potius caput omnium ma-  
lorum, quibus orbis Christianus redundat. In-  
terim audent argyraspides & chrysaaspides papi-  
stici occinere nobis, impie te antichristianæ pre-  
scriptionis Bonifacij octauii, de maioritate &  
obedientia, clausulam: Porro subesse Romano  
pontifici, est de necessitate salutis. hoc est, ut ego  
sanè intelligere possum, obtemperare per om-  
nia Romano pontifici, quæ religionē spectant,  
necessæ est, si uelis esse Christianus uerus, & ui-  
tam æternam cōsequi. Adhuc audent homines  
talpis cæciores, cochleis stupidiiores, Morycho  
stultiores, editis scriptis inter Christianos iacta-  
re insolentissimè, Papatum non ab homine, ne-  
que per hominem, sed à Deo per æternæ ueri-  
tatis uerba institutum, fundatum, & firmissimè  
radicatum esse, quodq; cognitum sit ex rerum  
gestarum per tot secula historijs, quam uani &  
inefficaces fuerint conatus uel potētissimorum  
atq; bellicosissimorum monarcharum, qui Pa-  
patum extirpare aut opprimere tentauerunt: si  
quidem fides Petri, super quam fundatus, & fir-  
miter ædificatus ac radicatus est papatus, non  
deficiet usq; ad consummationem seculi. Et us-  
que adeò illi strenui hyperaspistæ Romanenses  
iudicia

iudicia Christianorum contemnunt, ut non ue-  
reantur gloriari, hisce uiginti annis, quibus con-  
tinua bella exhauserunt aeraria principum & ci-  
uitatum, & loculos atq; arcas priuatorum ho-  
minum, omnesq; respub. senserunt magna de-  
trimenta ciuium & rerum omnium, unius Ro-  
mani pontificis opes ualde auctas esse. Quibus  
autem artibus & rationib. hoc difficilimo tem-  
pore populi Christiani, tantas diuitias acquisi-  
uerit, annuló ne Gygis, an Petri píscatoris: galea  
Orci cōtectus, an petaso pōtificio: loculo Fortu-  
nati adornatus, an pera pastorali: clauib. Euani-  
gelicæ prædicationis, quibus aperitur regnum  
cœlorum, an clave adulterina, qua recludit an-  
tichristus abstrusissimos etiam thesauros , hīc  
nolo disputare. Illud autem conabor, illud agē-  
dum, illud efficiendum est, ut stulticia pastoris  
stulti & idioli, sicut eum Zacharias uocat, & to-  
tius gregis consignati charactere bestiæ, nota-  
fiat omnibus hominibus . Efficiendum est, ut  
Cumanus uel Romanus asinus, qui palliatus ti-  
tulo uicariatus Christi, uelut pelle fortis leonis  
de tribu Iuda, satis diu et nimiū satis terruit ho-  
mines simpliciores, detractis pallijs & paluda-  
mentis, atq; omnibus inuolucris simulatae reli-  
gionis, totus abeat in fabulam & risum : ac desi-  
nant tandem simiq; purpuratę placere simijs, ne-  
que asini amplius uideantur mystagogi, & di-

E 3 spensa

distributatores multiformis gratiæ Dei. Elaborandum est nobis, ut dissoluto Labyrinto, quem nō Dædalus Græcus, sed mendaciorum

*2. Thes. 2.* architectus diabolus construxit operatione satanica, in omni uirtute & signis et prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod dilectionem ueritatis non receperunt, ut salui fierent: ut inquam iste ini quis, homo peccati, filius perditionis protrahatur in lucem, qui ueluti Minotaurus duobus gladijs æmulantibus cornua & potetiam Christi agniti, qui tollit peccatum mundi, omnibus minitur exitium, qui nō ei obsequuntur: utque spoliatus fictis nominibus ecclesiæ, fidei catholice, sacrorum canonum, obedientiæ, iuramenti torum, per uirtutem & gratiam Christi armis spiritus & iustitiae politice petatur, feriat, conficiat punet et cæsim, donec Christus rex gloriæ noster seruator inniane portentum penitus aboleat. Opera nobis danda est uiri Christiani, ut intel ligat plebecula Christi miserè afflicta tēpus ad esse, de quo Dominus dixit: Levate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra, ut & nos omnes, qui ex animo diligimus tabernacula Domini, & sanctam Hierusalem, non il lam terrestrem quæ occidit prophetas, quæ spiritualiter dicitur Babylon meretrix magna, mater fornicationum & abominationum terræ, et Aegypti

Aegyptus, & Sodoma, conueniamus spiritu:  
& lætentur in Domino, qui tristitiam & pressu-  
ram habent in mundo: & saturentur ab uberi-  
bus consolationis sacrarum literarum, qui ua-  
dique magnos terrores, & insidias, & pericu-  
la, & horrendos motus imminere cernunt. Vt Apoc. 10.  
cernant p̄ij, iamdudum inchoata esse pulcher-  
rima opera Christi, quæ promisit se esse editu-  
rum, neque dubitent, quin sint eius singulari  
sapientia & potentia, perficienda. Iam enim an-  
gelus fortis, angelus magni consilij Christus,  
suo numine in terras descendit, amictus nube,  
& iris in capite eius, & facies eius ut sol, & pe-  
des eius tanquam columnæ ignis. Qui habens  
in manu sua libellum apertum, posuit pedem su-  
um dextrum super mare, sinistrum autem su-  
per terram, & inuitis portis inferorum Euani-  
gelijs sui noticiā spargit per terras & maria: nec  
est ullum consilium, aut techna, aut proditio  
aduersus Dominum, quod que iurauit per ui-  
uentem in secula seculorum, firmum & ra-  
tum faciet, ut in diebus uocis septimi angeli,  
cum coepit tuba canere, consummetur my-  
sterium Dei, sicut euangelizauit per seruos  
suos prophetas. Iam effusæ sunt phialæ septem Apoc. 16.  
in gregem antichristianum, ut ut dissimulet.  
Et impletur uox magna, quæ exiuit de cœlo  
à throno, dicens: Factum est, Actum est enim  
de anti-

de antichristi satanica tyrannide, Domino reuelante impium, iam plus centum annis. Et facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terræmotus magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram. & facta est ciuitas magna in tres partes, non modo per schisma, quod fuit sub concilium Constantiense, sed per divisionem salutarem etiam, quam Dominus fecit misslo gladio uerbi, & igne spiritus, ut aliqui patum planè deserant, & Christum toto pectore amplectantur: aliqui Christum & Belial ciliare moliantur: aliqui totam ruinam collabentis Babylonis fulcire frustrâ conentur. Facta est enim ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt. & Babylon magna uenit in memoriam ante Deum, dare illi calicem uini-

Apoc. 17. indignationis iræ eius. In stat tempus, et pereuentes Babylonici non sentiunt, sed adhuc gloriantur in malicia, & se potentes putant in iniustitia, ut decem reges, qui unum consilium habuerunt, & uirtutem atq; potestatem suam bestiæ tradiderunt, uincantur ab agno, & qui cum illo sunt uocati, & electi, & fideles. Qui reges odio habebunt fornicariam, et desolatâ facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi, ut unam faciant uoluntatem, ut dent regnum suum

suum bestiæ, donec cōsummentur uerba Dei.  
Hæc inquam patefacienda sunt nobis non in  
conciliabulo satanæ, in quo Christi leges silent,  
& suffragia piorum non recipiuntur: sed in ma-  
gna ecclesia sanctorum . ut intelligent etiam  
paruuli in grege Dominico, tria hæc potissimum  
capita: Primum, quod rectissimum sit, ut se cō-  
tineant intra ecclesiæ catholicæ gremium & se-  
pta , & audiant uocem boni pastoris, qui dedit  
animam pro suis ouibus , & caueant pseudo-  
prophetas & pseudochristos , qui ueniunt in  
uestimentis ouium , intrinsecus autem sunt lu-  
pirapaces : Deinde, ut intelligent, ecclesiæ re-  
formationem à uerbo & spiritu Dei petendam  
esse, non à Babylone magna matre fornicatio-  
num & abominationum terræ, quæ madet san-  
guine sanctorum , & sanguine martyrum Ie-  
su: Postremò, ut intelligent, non expectanda ec-  
clesiæ Christi auxilia contra Turcas ab illis, qui  
publicis scriptis pronunciarunt, ipsis Turcis pe-  
iores & pestilentiores esse, & digniores qui ar-  
mis petatur, quam Turcas, qui contemptis im-  
pijs nugis Papistarum , ex euangelij doctrina  
cupiunt uitam rectè instituere : qui toties pecu-  
nias à populo Christiano emunxerunt, fictis in-  
dulgentijs ad simulatū bellum in Turcas. Nec  
tutò cōsultari de repellenda ui Turcarum cum  
ijs, qui principibus & regibus, & imperatorib.

F Chri-

Christianis ingentem metum incutiuunt publicis scriptis, ne cum Sobna sua consilia communient aduersus Assyrios, & non cum fidelis Eliam, qui merito gerat clauem domus David super humerum eius. Sic enim scribit Pius Pontifex Max. Romanus ad Morbihanum Turcarum principem : Quod si baptizatus es, & nobiscum ambulares in domo Domini cum consensu, nec illi tuum imperium tantopere formidarent, nec nos eis aduersus te ferremus opem : sed tuum potius brachium in eos imploraremus, qui iura ecclesiæ Romanæ nonnumquam usurpant, & contra matrem suam cornua erigunt. Et sicut nostri antecessores Stephanus, Adrianus, Leo, aduersus Haistulphum & Desiderium gentis Longobardæ reges, Pipinum & Carolum Magnum accersiuerunt, & libertati de manu tyrannica imperium à Græcis ad ipsos liberatores transtulerunt: ita & nos in ecclesiæ necessitatibus tuo patrocinio uteremur, & uicem redderemus accepti beneficij. O quanta esset abundantia pacis, quanta Christianæ plebis exultatio, quanta iubilatio in omni terra. Redirent Augusti tempora, & quæ poëtæ uocant aurea secula renouarentur. Hæc illa beatitia. Quamobrem nostrum est, quibus Christus à Deo factus est sapientia, iusticia, potētia, cogitare, & pro certissimo habere, quod uniuersum

uersum nostrum adiutoriū sit in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Et quod Dominus sit iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, qui saluabit nos, quo frēti clamemus: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Et siccatum est fœnum, & cecidit flos: quia sp̄ritus Domini sufflavit in illud. Verē fœnum est populus. & siccatus est fœnum, & cecidit flos: uerbum autem Dei nostri manet in æternum.

Et habui quidem in animo colligere oracula diuinarum literarum de nouissimis temporibus, & consummatione seculi, nec non de omnibus rebus Christi Domini & Dei nostri, eiusque detestabilis æmuli antichristi: ea que in libellos & capita digesta illustrare collatione ipsorum inter se, & breuissimis scholijs, & historiarum annotatione. Verum quia variæ occupationes, & breuitas temporis, quod superest ad nundinas celeberrimas totius Germaniæ, obſtiterunt, quo minus potuerim conceptum opusculum absoluere: existimauit principes Christiani, & omnes Christodictati homines, me facturum rem ministro ecclesiæ sanctæ dignam, & uobis non ingrata, nostro que seculo peraccommodam, si hoc scriptum ederem. Quo me demonstratum esse confido, Christianis, si modo uelint

F 2 respon-

respondere suo nomini, à uerbo Dei incarnato petendum esse iudicium exactum de præsentibus temporibus, & de futuris, in primis uero de rebus antichristi atrocissimi hostis Dei & omnium piorum: ab eodem etiam Christo præscribi rectissimam tum uniuersæ uitæ Christianæ, tum reipub. moderationē. Quam quidem quæstionem nostris temporibus attemperabo, ut liquidè cernatur, in oraculis diuinis descriptum esse olim statum & formam rerum præsentium: & in eis indicari uerissimas causas omnium malorum, quibus Christianus populus attteritur: simulq; rationes solidas & certas, restituendi confessionem populi Christiani, quanta esse potest in hoc seculo, & propulsandi mala omnia à ceruicibus & capite populi Christiani. Aut si maior pars hominum, ut coepit, pergit ire per latam & spaciōsam uiam, quæ ducit ad interitum, singuli tamē nouerint, ut se Christo seruatori & nauclero atq; gubernatori ecclesiæ catholicæ toto pectore committentes, in felicem & optatissimum portum æternæ salutis euadant.

Quod Chri-

**QVOD CHRISTIANOS**  
deceat consilia, consolationem, uitæq; totius  
in omnibus negotijs moderationem pe-  
tere à solo uerbo Dei.

**E**T enim quum disciplinam uitæ Christianæ  
prope totā perdiderimus, & in doctrinam  
religionis multiplex corruptela inuaserit, sintq;  
dissidia internecina dogmatū inter illos ipsos,  
qui duces & magistri in populo Christiano ui-  
deri uolunt, & offendicula infinita: ut taceā in-  
terim pericula grauissima, quæ tum animis tum  
corporibus impendent, & innumeras calamita-  
tes: admonet res ipsa, in hominibus parum esse  
consilij aut opis repositum: quando & sal in-  
fatuated est, & qui lux esse debebant, factæ sunt  
tenebræ, & qui se ruptæ materiæ interponere  
debebant, ne ira Domini progrederetur, con-  
uersi sunt in hostes truculentissimos ecclesiæ.  
Quod nam igitur consilium adferri aut exco-  
gitari potest uel honestius, uel utilius, uel bre-  
uius, simplicius, planius, uel tutius, uel exequen-  
do facilius, uel magis necessarium ad propul-  
sanda & declinanda mala, & ad salutem obti-  
nendam: quam quod in rebus afflictis & de-  
ploratis semper dederunt uiri sapientes, & inti-  
mi amici Dei, atq; cōsiliorum Dei apprime con-  
sci: Nempe ut homines undiquaque pericu-

lis & malis urgentibus circumuenti, toto se pectori conuertant ad opem diuinam, uelut ad sacram anchoram: consulantque oracula Dei uiuentis, & le illis per omnia, quantum fieri potest, accommodent. Est enim omnibus seculis & aetatis compertum, quod feliciter ex omnium malorum fluctibus emerserunt in portum salutis, quicunque se uerbo diuino attemperarunt. Qui uero consilium & opem diuinam contempserunt, uel ex suo ingenio & uiribus certiora consilia, & auxilia firmiora expectarunt, uel ex alijs hominibus, aut ex diuis auxiliaribus, secuti pertusas cisternas, quae aquam continere non possunt, ut inquit Hieremias, praeterito uerbo Dei, per quod secula condita sunt, perenni fonte uniuersi boni, n*on* isti omnes temeritatis atque stultitiae suae grauissimas poenas dederunt, & rebus ipsis experti sunt uerissima esse, quae diuina sapientia per Solomonem in Proverbijs de se pr&ae;dicat: Despexitis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cum uobis, id quod timebatis, aduenerit: cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando uenerit superuos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam,

*Prover. i.*

plinā, & timorē Domini nō susceperint, nec acquieuerint cōsilio meo, & detraxerint uniuersæ correptioni mæ. Comedent igitur fructus uiae suæ, suisq; consilijs saturabuntur. Auersio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absq; terrore requiescet, & abundantia persfruetur timore malorum sublato. & alibi: Melior est sa- Prover. 8.  
pientia cunctis opibus preciosissimis, & omne desiderabile nō potest ei comparari. Ego sapien-  
tia habito in cōsilio, & eruditis intersum cogita-  
tionibus. Timor Domini odit malū: arrogan-  
tiam, & superbiam, & uiam prauam, & os bilin-  
gue detestor. Meum est consilium & æquitas,  
mea est prudentia, mea est fortitudo: per me re-  
ges regnant, & legum conditores iusta decer-  
nunt: per me príncipes imperat, & potentes de-  
cernunt iustitiam. Ego diligentes me diligo, &  
qui mane uigilauerint ad me, inuenient me:  
Mecum sunt diuitiae & gloria, opes supernæ  
& iustitia. Melior est fructus meus auro & la-  
pide precioso, & genima mea argento electo.  
In uījs iustitiae ambulo, in medio semitarum iu-  
dicij, ut ditem diligentes me, & thesauros eoru-  
repleā. Dominus possedit me in initio uiarum  
suarū, anteq; quicq; faceret à principio. Ab æ-  
terno ordinata sum, & ex antiquis, anteq; terra  
ficeret. & mox: Beati, qui custodiunt uias meas.

Audite

Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abiijcere eam. Beatus homo, qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenierit, inueniet uitam, & hauriet salutem à Domino: qui autem in me peccauerit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Porro quum sit maxima copia exemplorum, quae declarant rectissimum atque tutissimum esse, ut se in omnibus rebus homines conferant ante omnia ad uerbum Dei, paucis tamen hic contentierimus. Ac primū referemus, quām infelicitas cesserit regi Achaz, & populo Israēlitico, quia præterito uerbo Dei, suis consilijs & humano præsidio se se tueri conati sunt. Quum enim Achaz, omnium regum Iuda & Israël selectissimus, regnum teneret, Vrias autem sumum gereret sacerdotiū, pontifex ad ingenium & mores impij regis factus, populus non multo fuit melior. Ita enim fermē fit, ut qualis sacerdos, talis sit etiam populus: & in regum uitis imitandis sequacius sit uulgaris, quām in uirtutibus imitandis. Eodem tempore præconium sacrum facit Esaias, nobilissimus propheta. Accidit autem, ut Phacee rex Israēlitarum ingenti clade afficeret Achaz regem Iuda, occisis uno prælio uiris ad centena & uiginti milia; uix̄ p uulnere isto obducto, Phacee & Rasin

fin rex Syrorum cōiunctis copijs aggressi sunt regem Iuda, pr̄esumentes uictoriā, & glorian-  
tes, ut solent facere militares homines, se extirpa-  
turos regnum Iudaicum, & redacto in suam di-  
tionem populo imposituros regem filium Ta-  
beelis, suo arbitratu. Ibi trepidatio ingens tum  
regem tum populum cœpit: aliusq; alia consi-  
lia inire, & auxilia parare instituit. Et pars qui-  
dem censuit phytōicos & diuinaculos consu-  
lēndos esse, de bellī euentu: pars respexit ad ex-  
teriorum principum auxilia, quæ & priores ali-  
qui reges, ut Manahem, requisiuerant, necq; infe-  
liciter, ut uidebatur multis. Cæterum Esaias di-  
uino impulsu & mādato, regem Achaz & uni-  
uersum populum duarum tribuum Iuda & Be-  
niamin consolatus est, luculentissima illa ora-  
tione, quæ continetur inter sermones Esaiae à  
cap. 7. usq; ad cap. 13. Ostendit enim, non me-  
tuendum esse à Phacee rege decem tribuum, &  
Rasin rege Syrorum, non magis quām à duo-  
bus titionibus fumigantibus, quos Deus breui-  
sit extincturus. Potius metuendum esse Deum,  
qui peccātes punire, poenitentibus ignoscere &  
parcere soleat. Non quiritandum etiam esse, &  
uoces effundendas, que desperationem sonent:  
sed potius in silentio & bona spe auxilium ecclē-  
sie prestolandum esse, quod omnipotens, & ue-  
rāx, et benignus Dominus promiserit. Minime

G uerò

uerò spem salutis ponendam esse in Assyrijs: quorum potentia tum erat formidabilis, & defenderant Manahem regem Israëlis, ne inimici eius regnum eriperent malè partum. Non consulendos magos & ariolos: sed Deū Israëlis consulendū, qui legem & prophetas in eum usum dederit, ut populus Dei inde discat, quid sibi expectandum, aut quid agendum sit in omnibus negotijs. Nam esse periniquū, ut quā gentes omnes soleant deos suos consulere in aſduis negotijs, Iudaicus populus non interroget suum etiam Deum. Neq; stultius quid cogitari posse, quam contemnere oracula Dei uitii & ueri, & scilicet fata impendentia ex uaniss. diuinatione deorum gentilium, qui mortui & nulli sint. Iubet etiā recolere oracula, quae Messiam domui Iuda promittant. Eum enim Emanuel, quod sonat nobiscum Deus, qui olim ex uirgine carnem humanam adsumpturus sit, iam defensurum sedem regni patris sui Dauid, cui factae sint promissiones: ut reges duo Phæcee & Rasin deleantur, & regnum Israël penitus euertatur intra 65. annos, nimirum à terremotu facto regnante Ozia: quem portentere ingentes motus, Amos interpretatus fuerat. Quod si credant uerbis diuinis, secomittant cœlesti præsidio, sensuros esse præsens. opem numinis. Eiusq; rei eidēs documentum

tum fore in Esaia & discipulis, qui non alia via  
salutem quæsitudini sint, & à Deo seruatum iri.  
Sin uero Iudæi contemniant oracula diuina,  
haudquaquam fore stabiles, sed omnia consilia  
eorum in nihilum recisura: & Assyrios aliquan-  
do, ad quorum auxilia multorum oculi respi-  
ciant, regnum Iuda miseris modis uastatuos  
esse. Tuncq; fore, ut damnent uerum serius,  
quod non obsecuti fuerint monitis & præce-  
ptis diuinis: & mutuum exprobent, & incusent  
alter alterum tanquam autorem calamitatum o-  
mnium, omnesq; desperatione inuoluti misere-  
pereant. Sunt autem hæc uerba Esaiae ex sermo-  
ne consolatorio, quæ & nostris temporibus  
utinā crebrò & diligenter expenderentur. Hæc  
ait Dominus ad me: Sicut in manu fortis erudi-  
uit me, ne irem in via populi huius dicens: Ne  
dicatis, coniuratio. omnia enim, quæ loquitur  
populus iste, coniuratio est. Et timore eius ne ti-  
meatis, neq; pauetatis. Dominū exercituū ipsum  
sanctificate, & ipse paucorū uester, & ipse timor ue-  
ster sit. Et erit uobis in sanctificationē, in lapidē  
aut̄ offensionis & petrā scādali duab. domibus  
Israël, & in laqueū & in ruinā habitantibus Hie-  
rusalem. Et offendent ex ipsis plurimi, & cadēt,  
& cōterentur, & irretinentur, & capientur. Liga-  
testimonium, signa legem in discipulis meis.  
Expectabo Dominum, qui abscondit faciem

G 2 suam

suam à domo Iacob, & præstolabore eum. Ecce  
ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in  
signum & in portentum Israël à Domino exer-  
citū, qui habitat in monte Sion. Et cum dixe-  
rit ad uos, quærite à phytonibus & à diuinis,  
qui strident in incantationibus suis: Nunquid  
non populus à Deo suo requiri et uisionem pro-  
uiuis ac mortuis? Ad legē magis, & ad testimo-  
nium. Quod si nō dixerint iuxta uerbum hoc,  
non erit eis matutina lux. Et transibit per eam,  
& corruet, & esuriet: & cum esurierit, irascetur,  
& maledicet regi suo, & deo suo. Et suspiciet  
sursum, & ad terram intuebitur: & ecce tribu-  
latio, & tenebræ, & dissolutio, & angustia, &  
caligo perseguens, & non poterit auolare de an-  
gustia sua. Quid autem effecit Esaias? Aut quid  
accidit Israëlitis? Achaz uerbis Esaiæ prophete,  
atq; adeò Dei oraculis cōtemptis, stolidè & im-  
piè scodus iniit cum Theglath Phalassar, eum sa-  
lutans dominum & patrem suum, atq; in usus  
belli uim ingentem pecuniarū ei suppeditauit.  
Adiuuante etiam pontifice Vria, impios et pere-  
grinos cultus auxit forma aræ, quam conspexe-  
rat Damasci, translata in templum Domini in  
Hierusalem. Et Rasin quidē occisus est ea expe-  
ditione à rege Assyriorū: paulo pōst & Phacee  
per insidias extinctus est, ut appareret in præ-  
sens scodus initū cum rege Assyrio, idq; contra  
uerbum

uerbum Dei, salutem attulisse Israëlitis. Verum  
euentus declarauit, quām malum & pernicio-  
sum sit Dei oracula contemnere. Nam & ipse  
Theglat Phalassar, qui ab Achaz euocatus fu-  
erat cōtra hostes suos, cōpīt non modo decem  
tribus, uerum etiam regnum Iudaicum attere-  
re. Quem insecutus Salmanassar, totum regnū  
Israëliticum sustulit, ut prædixerat Esaias, sed  
non sine uastatione regni Iudaici. Post eos Se-  
nacherib regno Iuda ingentes calamitates intu-  
lit. Tandem uero Babylonij potiti Assyria mo-  
narchia, incensa urbe Hierosolymorum, incen-  
so templo, sacerdotibusq; & regibus, & magna  
parte uulgi occisis, regnum totum stirpitus exci-  
derunt pauculis reliquijs seruatis, quæ diutur-  
num exilium in Babylone pertulerunt. Mun-  
dus primus, quem Enoch arguit peccati, simul  
denunciās graue iudicium Dei ostingentis an-  
nis ante diluuium, quemq; Noë præco iustitiae  
ad emendationem morū exhortatus est per an-  
nos 120. quia diuinās admonitiones cōtempsit,  
eluione aquarum deletus est, una familia iusti  
Noe seruata, quæ oraculis sese accommodauit.  
Niniuitæ prouocati sermonibus Ionæ prophe-  
tæ, emendant uitam suam, & effugient impen-  
dens exitium, qui perituri erant intra quadrage-  
simum diem. Idem reuersi ad pristina scelera &  
impietatem, contemnentes oraculum Nahum

G 3 prophe-

prophetæ, formidabili exēplo deleti sunt. Ver-  
santur etiam in oculis omnium populorum in-  
felices synagogæ dispersæ reliquiae, quæ testen-  
tur miseriā & infelicitatem impiæ gentis, in  
quam iusto iudicio Dei coniecta est, quia uati-  
cinia Christi seruatoris & apostolorum perti-  
naciter contempsit. Operæ premium quoç est  
cognoscere morem & consuetudinem ecclesiæ  
Christi, ut ex oraculis diuinarum literarum pre-  
sentia et futura tempora æstimauerit, seçq; confir-  
mauerit in persecutionibus cōsolatione scriptu-  
rarum, atç omnes res ad exactissimam normā  
uerbi diuini direxerit. Sic enim scribit Tertullia-  
nus, scriptor ecclesiæ in primis celebris, & uici-  
niis temporib. apostolorū, in 39. cap. Apologe-  
tici: Coimus ad litterarum diuinarum cōmemo-  
rationem, si quid præsentium temporū qualitas  
aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè  
fidem sanctis uocib. pascimus, spem erigimus,  
fiduciam figimus, disciplinam preceptorum ni-  
hilominus inculcationibus densamus. Ibidem  
etiam exhortationes, castigationes, & cēsura di-  
uina. Et cap. 20. docens ueritatem scripturæ sa-  
cræ probari uetusissimis scriptoribus ethnico-  
rum, & ex rerum prædictarum euentu, ita scri-  
bit: Plus iam offerimus pro ista dilatione maie-  
statem scripturarū, si non uetus state diuinias pro-  
bamus. Si dubitatur antiquitas, ne hoc tardius  
aut

aut aliunde discendum. Coram sunt que docēbunt, mundus, & seculum, & exitus. Quicquid agit, prænunciabat: quicquid uidet, audiebat. Quod terræ uorant urbes, quod insulas maria fraudant, quod externa atq[ue] interna bella dilaniant, quod regnis regna compulsant, quod fames & lues & locales quæq[ue] clades, & frequētū plerūq[ue] montiū ustant, quod humiles sub limitate, sublimes humilitate murātur, quod iustitia rarescit, & iniq[ue]itas increbescit, bonarū omnium disciplinarum cura torpescit, quod etiam officia temporum & elementorum munia exorbitātur, quod & monstris & portentis naturaliū forma turbatur, prouidēter scripta sunt. Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Idoneum opinor testimoniu[m] diuinitatis, ueritatem diuinationis, hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum: quia cum illis quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eadem uoces sonant, eadem literæ notant, idem spiritus pulsat. Vnum tempus est diuinationi futura præfari, apud homines si forte distinguitur, dum expungitur: dum ex futuro præsens, dehinc ex præsenti præteritum deputatur. Quid delinquimus, oro uos, futura quoq[ue] credentes, qui iam didicimus illis per duos gradus credere: Ex quibus uerbis uetustissimi scriptoris, facile intelli-

intelligitur, quanto in precio & authoritate fuerit oracularis scriptura in ecclesia primitiva, quæ consilia sua & omnes actiones eo gnomone moderata est. Id quod faciendum esse, à diuino Paulo didicit, qui Timotheo scribens omnes erudit Christianos: Tu uero, inquit, permane in his quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendū, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad

Rom. 15. omne opus bonum instructus. Et ad Romanos scribēs ait Apostolus: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spē

2. Pet. 1. habeamus. Idem Petrus apostolus docuit in posteriori epistola, ita scribens: Habemus firmorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendantes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris, hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim uoluntate humana allata est aliquid prophetia, sed spiritus sancto inspirati locuti sunt sancti homines Dei. Atque ad hūc canonem rectissimum uerbi diuini, accom-

accommadarunt sese omnes synodi congregatae in spiritu sancto, quæ damnarunt Arium, Macedonium, Eutychem, Nestorium, Pelagium, & alios haeresiarchas, cum suis pertinacibus sectatoribus. Quæ neq; mutarunt diuinitus tradita & instituta in sacris literis: neq; abrogarūt, quod uerbum Dei sanxit: neq; tradiderunt quicquam credendum: neq; nouos articulos fidei, aut opera bona, quæ Deus non præparauit ut fideles in eis ambulent, obtruserūt Ecclesię, pre-textu apostolicæ atq; adeò diuinæ autoritatis. Obseruarunt enim præscriptiones diuinæ in Ecclesiæ rebus transigendis. ut quod Moses præcipit: Non addetis ad uerbum, quod uobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei uestri, quæ ego præcipio uobis. Et rursum: Constituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam: & eris semper suprà, & non subter. Si tamen audieris manda Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris, & feceris, ac non declinaueris ab eis nec ad dexteram nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neq; colueris eos. Et Dominus apostolis præcipit: Docete eos servare omnia, quæcunq; mandaui uobis. Proinde synodos, quæ ex uerbo Dei omnia iudicarunt, audire, est Ecclesiam audire, adeoq; ipsum Dominum audire, qui dixit: Qui uos audit, me H audit:

Deut. 4.

Deut. 28.

Matth. 28.

audit: & qui uos contemnit, me contemnit, & patrem contemnit, qui me misit. Contrà uerò conciliabula satanica, & conspirationes contra Dominum & Christum ipsius, censeri debent, quæ attenderunt spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, quæ prohibuerunt matrimonium ijs quibus Deus nō uetuit: & præter uerbum Dei gradus cognitionum finixerūt, quæ matrimonium legitimum impedirent, atq; eosdem gradus propter mercedem iniquitatis sustulerunt: quæ uetuerunt cibis uesci, quos Deus creauit, & benedixit uerbo suo fidelibus, & rursum propter pecunias uesci cōcesserunt: quæ miraculum transubstantiationis adfinixerunt symbolis coenæ dominicæ. Quale in primis fuit conciliabulum satanæ, quod Ioannem Hussiū, & Hieronymū Pragensem, testes fideliſ Iesu Christi, & præcones iustitiae & ueritatis nefarijs flammis addixit, & apertissimè duos testes ueteris & noui Testamenti oppugnauit. Ideoq; tales coniurationes impiæ & diabolicae,

*Apoc. 11.* sententijs diuinis damnantur. Si quis enim uoluerit lædere duos testes Iesu, uetus & nouum instrumentum, in quibus testimonium totius ecclesiæ catholicæ cōtinetur, ignis exibit de ore ipsorum, & deuorabit inimicos eorū. Et si quis habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus

diebus prophetiae illorum, & potestatem habet  
super aquas conuertendi eas in sanguinem, &  
percutere terram omni plaga, quotiescumque uo-  
luerint. Et in prouerbiis Agur inquit: Omnis Prou. 30.4  
sermo Dei ignitus est clypeus omnibus speran-  
tibus in ipsum. Ne addas quicquam uerbis illius, et  
arguaris, inueniarisque mendax. Præterea Pau-  
lus autoritate apostolica una sententia iugulat  
omnes doctrinas & constitutiones repugnan-  
tes Euangelio Christi. sic enim scribit ad Gala. 1.  
tas: Miror quod tam cito transferamini ab eo  
qui uos uocauit in gratiam Christi, in aliud Euan-  
gelium, quod non est aliud, nisi quia sunt aliqui,  
qui uos conturbant, & uolunt subuertere Chri-  
sti Euangeliū: sed licet nos, aut angelus de cœ-  
lo euangelizet uobis, preterquam quod euāgeliza-  
uimus uobis, anathema sit: sicut prædiximus.  
Et nunc iterū dico uobis, si quis uobis euāgeli-  
zauerit preter id quod accepistis, anathema sit.  
Et mox: Neque enim ego ab homine accepi il-  
lud, neque dīdici, sed per reuelationē Iesu Christi.  
Acceleret igitur dies concilij Tridentini, & ui-  
deamus opus illius. Nam quicquid ex uerbo  
Dei nobis tradiderit credendum & obseruan-  
dum in cultura religionis et instituto uitae Chri-  
stianæ, summa cū reuerentia & animi gratitudi-  
ne recipiemus, glorificantes Deum, qui hominib.  
dedit talē uirtutē et sapientiā. Si quas uero tradi-

*Coloſſ. 2.* *Matth. 15.* tiones humanas ex turbido iure , aut male sanis cerebris protulerint (quas diuinus Paulus grauiſſime reiſcit ad Coloffenses scribens , & Do- minus Christus adducto etiam testimonio ue- teris prophetiae explodit dicens : Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens, Popu- lus hic labijs me honorat, cor autem eorum lon- gè est à me. Frustra me colunt, docentes doctri- nas & mandata hominum ) autoritate diuina instructi respuemus, quod humana temeritate consutum & conflatum est, ad subuersionem simplicium.

**QVAM MVLTIPLEx ET  
necessarius sit uſus uerbi diuini, &  
ſacrarum literarum.**

**V**Erum ut euidentius cernatur, nullam par- tem uitæ Christianæ unquam carere posse uerbi diuini moderatione, eoꝝ organo sacratissimo res omnes, cōſilia, cogitationes, sermones, decreta, actiones ꝑ publice & priuatim regi de- bere, pauca iam dictis adiūciam, de multiplici & necessario uſu uerbi diuini : qui quidem in in- finitum patet. Est enim uerbum Dei æternum, & præfinito tempore incarnatum, perfectissi- ma ratio, & suprema lex, absolutissima ꝑ ex- pressio diuinæ uoluntatis, sapientiæ, bonita- tis, & potentiaꝫ infinitæ, Quo uerbo Domini cœlum

ecclum terraꝝ & maria, & omnia quæ in eis continentur, condita & ordinata sunt, atq; eo- dem uerbo suæ potentiae Deus conseruat & re- git uniuersa. ut sine illius numine nihil oriatur, nihil occidat, nihil immutetur in tota natura: non passer cadat in terram, non folium defluat ex arbore, non capillus ex capite hominis. Cui non modo parent angeli boni, & orbium coele- stium atq; siderum ordines, & uniuersitas ani- mantium, plantarum, rerumq; inanimatarum: uerum etiam malí dæmones, qui in ueritate non perstiterūt: hominesq; impij quantumuis repu- gnantes & inuiti, sentiunt imperium & uim in- superabilem uerbi filijque Dei unigeniti, sine cuius permisso prauam suam uoluntatem & ui- res nequaquam exerere possunt, aut ullo pacto se mouere. Cui pater dedit omnem potestatem in celo & in terra, & nomen illi donauit quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne ge- nus reflectatur coelestium, terrestrium, inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ie- sus Christus est in gloria Dei patris. Quumq; parens & opifex rerum ab æterno in filio suam infinitam sapientiam, & potentiam, & bonita- tem, & totam naturam expresserit, ex parte illa expressit ad ideam perfectissimā & exēplar uni- uersitatis per suum uerbum in opificio totius mundi, & quidem mirifice. Omnium uerò ex-

H 3 cellen-

cellentissimè id factum esse in homine confiten-  
tur nō solum Christianæ religionis consortes,  
uerum etiam Ethnicorum sapientissimi viri, qui  
hominem compendium uniuersitatis appella-  
runt, & μηρόνοσμοι, hoc est paruum mundum, &  
supremum totius naturæ miraculum. Ut enim  
omnia propter hominem facta sunt, homo aut  
propter Deum & hominis gratia: ita etiam sa-  
pientissimè conditus est ad imaginē & similitu-  
dinem Dei, factus corpore ex elemētis omnium  
corporum, formatus autem anima capaci altio-  
ris mentis & intelligentiae, & rationis atque  
consilij. Et quia homo compositus ex corpore  
& animo, creatus est ad societatem & consor-  
tium sempiternum diuinæ gloriae & felicita-  
tis: indidit ei opifex rerum immensam cupidi-  
tatem & desiderium boni, & propter bonum  
assequendum infinitam expetitionem cogno-  
scendi plurima, non modo præsentia loco &  
tempore, uerum etiam præterita & futura, &  
quæ à nostra cognitione abstrusa & remotissi-  
ma sunt. Quæ nisi ab infinita & perfectissima  
ratione uerbi diuini regantur, proclive est, ut ho-  
mo à fine proposito deflectat in errores absur-  
dissimos, in uitia & turpitudines in tota uita: in  
mala deniq; ut semel dicam, innumera. Quam-  
obrem, ut nihil deesset homini perficiendo &  
beando, sed abundè illi suppeterent, per quæ  
sapiens

sapiens & bonus & beatus euadat, infinita sapientia Dei cōtraxit & insinuavit sese in uocum & literarum inuolucra, ex quibus conficeretur organum & consummatissimum instrumentum, quo cogitationes, sermones, actiones, tota denique uita hominis dirigeretur ad perfectissime rationis, & diuinæ sapientiæ atque bonitatis canonem. Et quanquam uoces humanæ, & characteres literarū, quibus diuinū uerbum exprimitur, nequaquam re & natura sunt, quod est æternum uerbum Dei coëssentiale patri & spiritui sancto, ad quod nullus sensus mortalibus hominis pertingit: & possit ipsum uerbum Dei omnibus horis in omnium mentibus reuelare sine scriptura & ministerio cuiuscumq; creaturæ, ueritates illas uniuersas quæ in scripturis sacris continentur: sitq; inefficax uerbum externum, nisi uim suā exerat interius in mente ipsum substantiale uerbum Dei: multiq; uerbū externum contēnant, ei repugnant, eo abutantur in suā et aliorū perniciem: est tamen illud ipsum uerbum Dei externū defluxus eterni & immutabilis uerbi Dei, quo uelut in liquido fonte aut speculo purissime representatur. Quo quidē uerbum Dei uiuū ab externo etiā homine, & sensib. tā extenisq; internis apprehēdi uult, & in organo suo propriissimo ea operari, quæ pertinēt ad salutē & perfectionē hominis. Vnde fit, ut qui uerba Dei

Dei externū respuunt, eiç̄ reluctantur, aut per-  
uertunt in suam & aliorum perniciem, prodant  
se, quod ex Deo non sint, sed ex patre diabo-  
lo: & quod ipsum Dei uerbum substantiale, &  
filii Dei, cui pater cœlestis omnia subiecit, con-  
temnant, eiç̄ repugnēt, & inuiti tamen cum dia-  
bolo à filio Dei gubernentur: quodq; amorem  
ueritatis non habeant, ut salui fiant, sed delecten-  
tur mendacio, digni qui efficacibus erroribus et  
imposturis præcipitetur in miserias. Quemad-  
modum uoces quas promit os humanum, aut  
manus effigiat notis literarum, et ratio hominis  
atq; mens, natura plurimū dissident. Est tamen  
hominis oratio, defluxus et deriuatio mētis atq;  
rationis, qua foris promicat, seç̄ in sensus alte-  
rius hominis ingerit, & per sensus in animos il-  
labitur. Vnde mentem alterius hominis tenere  
dicitur, qui pronunciata per uoces & literarum  
imagines percepit: & rursus ab animi sententia  
discrepare, qui repugnat sermoni & scriptis al-  
terius. Quum igitur scripta instrumenti ueteris  
& noui contineant ueritatem sempiternam, &  
sapientiam ex fonte uerbi Dei per sanctos pro-  
phetas & apostolos & euangelistas deriuatam:  
sitq; uerbum Dei æternum perfectissima ratio,  
& uniuersalis atq; suprema lex: nihilq; ab homi-  
ne donato excellēti munere rationis debeat fie-  
ri, præter rationē exactam: quis non perspiciat,  
nullam

nullam partem uitæ humanæ sine uerbo Dei,  
& canone literarum diuinorum transfigi posse  
probabiliter: Nam id demum rectū, honestū,  
pulchrum, laudabile, expetendum, bonum, ue-  
rum, certum & exploratū haberi potest, quod  
per regulam uerbi diuini & perfectissimæ ratio-  
nis tale esse cognouimus. Sed res planior fiet e-  
undo per partes uitæ Christiang, si perpendan-  
tur, quæ per tropos & mutuatas uoces, tum de  
uerbo Dei pronunciantur, tum de populo &  
ecclesia Christiana. Aliquando enim ecclesia et  
societas sanctorum grex nominatur, sub princi-  
<sup>Ecclesiæ</sup> grex.  
pe pastore Christo, qui & alios per partes gre-  
gis sui pastores præficit. Ut cum Dominus ait:  
Noli timere pusille grex, quia placitum est patri  
coelesti tibi dare regnum. Eaç ratione sacra scri-  
pta pascua sunt, in quibus grex Domini alimē-  
tum percipiat: & baculus pastoris, quo coerce-  
antur oves, & abigantur lupi insidiantes gregi.  
Quemadmodum David canit: Virga tua et ba-  
culus tuus ipsa me consolata sunt. quòd pedū  
pastorale uerbi diuini decet manus episcopi, &  
non gladius furiosi Martis. Rursum ecclesia cō-  
paratur capturæ piscium, honorum pariter &  
putriū, qui ex mari et uasto pelago huius mun-  
di extrahuntur uerriculo, & sagena, & hamis  
uerbi diuini. Figurata est etiam ecclesia per na-  
uim & arcam Noe, in qua pauci homines, puta  
<sup>Ecclesiæ</sup> nūgium.

octo seruati sunt, uniuerso mundo pereunte in diluio. Cuius nauigij carina, prora et puppis, clavis, gubernaculum, remi, malus, uelum, ru-

dentes, cynosura etiam, & elice, & sidera, ad

quorum obseruationem nauis dirigatur, uer-

*Ecclesia ager, aut hortus.* bum Dei est. Iam ab agricultura mutuo sum-

ptis nominibus & parabolis, ecclesia dicitur a-

lias hortus, aliás ager, in quo plantantur sancti

homines, zizanijs tamen interspersis per ma-

lum impostorem diabolum. Atq; in ea spiritua-

li agricultura uerbum Dei seminis uicem præ-

bet, & aquarum quibus ager & hortus rigen-

tur, & sarculi, rastri, falcis, ligonis, atq; uniuersi

instrumenti rustici. Quamobrem scite diuus

Bernhardus admonet Eugenium pontificem

Romanum, manibus episcopi tenendum esse

sarculum, quo uitia & superstitiones eradicen-

tur, non scepta regum. Crebrò etiam accom-

*Ecclesia edificium.* modatur à prophetis & apostolis, & ipso Do-

mino Christo similitudo ædificij, ut ecclesia

spectetur uelut ædificium spirituale, cuius fun-

damentum, & lapis angularis Christus est. Ad

quod extruendum & conseruandum, & ad re-

ficienda sarta tecta, uerbum Dei usum præbet

amussis & perpendiculari, & gnomonis. Idem

malleus, trulla, securis, dolabra, serra, terebra,

& totum instrumentum architectonicum est.

Siue igitur ædificandum est, siue demolien-

dum,

dum, ut Hieremig dicitur: Ecce dedi uerba mea  
in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes  
& super regna, ut euellas & destruas, & dissili-  
pes, & ædifices & plantes: neutrum opus recte  
& fœliciter peragi poterit, nisi ad amissim &  
perpendiculum uerbi diuini omnes ædificij  
partes exigantur. Qui uero pro sua libidine ar-  
chitectonicam exercere studet, & titulo hære-  
seos damnare uera dogmata, rursumq; titulo  
religionis Christianæ commendare, quæ pu-  
gnant cum uerbo Dei, mox audit uersiculum  
poëtæ in ædificatores insanos:

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Et ab œconomia ipsa plures tropi desumpti  
ad ecclesiam transferuntur, ut quum Dei cul-  
tores serui Dei dicuntur, aut filii Dei, aut spon-  
sa legitima Dei. Quo in genere translationis,  
sacra scriptura commentarius est, præscribens  
omnibus, quomodo uersari debeant in domo  
Dei. Hæ tabulæ dotales sunt, quibus donatiua  
sponsi continentur. Hoc instrumentum est,  
quo hæreditas filijs destinata, & conditiones,  
quibus integris hæreditatem accepturi sint,  
aut cōtrā, quibus uiolatis exheredes futuri sint,  
cōtinentur. Plures etiā, & haud scio an illustrio Tropi à po-  
res similitudines à politia mutuo acceptæ, accō. lit a mu-  
modantur ecclesiæ Dei. Nā cōiunctio sanctorū tuati.

omnium cū Deo foederis instar habet. Cuius capita & conditiones, quid Deus polliceatur, quidcū uicissim à fidis amicis & socijs præstari uelit, in oraculari scriptura plenissimè describuntur, quæ ob eam potissimum causam testamenti utriusq; appellationem sortita est. Quod quidem foedus in ueteri populo sanguine pecoris sæpius sanciebatur, in nouo autem populo sanguine filij Dei semel sanctum & confirmatū est in omnia secula. eiuscū rei memoriam in sacra & mystica coena ex instituto Seruatoris solenniter peragimus. Rursum coetus fidelium castris cōfertur; unde castra sanctorum in Apocalypsi Iesu Christi dicuntur, & in Canticis, castra ducentium choros. Et uita Christiana militiae similis est, pīs partim in celo triumphibus, partim in terra militantibus sub imperatore Christo, contra carnem, & mundum, mundicū principem diabolum, et eius supremum capitanum antichristum. In qua sacra militia uerbum Dei tubarum usum obtinet, quibus animi accenduntur ad pugnam, & reuocantur à persequēdo hoste, aliaq; signa dantur militibus Christianis. Ea propter in ueteri populo ex precepto Dei argēteæ tubæ duæ per sacerdotes combatabantur castra Israelitarū: quibus concinibus ceciderūt muri Hierichuntis, & urbs mitissima Chananæorum uenit in ditionem populi

puli Dei. Verbum Dei gladius est, hasta est, ar-  
cus est, clypeus est, lorica est, galea est, baltheus  
est, tota deniq; armatura est, quæ hominem un-  
diquaque tegit, & qua ualidissimè hostis repelli  
tur & feritur, & uincitur. Hæc est enim uicto-  
ria, quæ uincit mundum, fides nostra. Fides au-  
tem ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Et  
quod ingeniosissimi poëtæ Homerus & Vir-  
gilius per clypeum Achillis aut Aeneæ signifi-  
carunt, sapientiam undiquaq; munitum & in-  
structum reddere hominem; id uerissimè con-  
gruit uerbo Dei. Nam coelesti armatura diuine  
sapientiæ cōtectus, consistere poterit in die ma-  
lo, & feliciter eluctari ex omni tentatione. Por-  
rò quia populus Christianus coelestis & sacra  
est politiæ, & ciuitas Dei, cuius princeps, & su-  
premus iudex, & lator legum, Christus est, a-  
deoq; regnum Dei augustissimum est sub rege in  
uictissimo & imperatore uictoriosissimo Chri-  
sto domino gloriæ, uerbum Dei sceptrum ha-  
betur optimi nostri maximiq; principis. De  
quo Dauid ait: Virga rectitudinis, uirga regni  
tui. & rursum: Virgā uirtutis tuæ emittet Do-  
minus ex Sion, dominare in medio inimicoru-  
tuorum. Ac alibi: Reges eos in uirga ferrea, &  
sicut uas figuli confringes eos. Esaias quoq; in-  
quit de Messia filio Dauid: Non secundum ui-  
sionem oculorum iudicabit, neq; secundum au-

ditum aurium arguet, sed iudicabit in iusticia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Verbum Dei gladius est anceps, qui egreditur ex ore Christi iudicis. Non enim in hoc seculo quenquam punit aliter, quam secundum sententias diuinæ scripturæ. Neque in ultimo iudicio præmia conferet, neque supplicia irrogabit aliter, quam pronunciatum est in sacris literis. ueluti, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur. Præterea codex sacer instrumenti veteris & noui, codex authenticus est sacrarum legum, & uniuersi iuris in republica Christiana, quod est regnum Dei, & solium Dei: ut de regno Dauidis & Solomonis scribitur. In eo enim describuntur ordines reipublicæ, & forme officiæ magistratus erga Deum & erga populum. Et rursum, qui habeant ius ciuitatis, aut qui extra communionem sanctorum exercendi sint. Ut cum Dauid inquit: Domine quis habbit in tabernaculo, aut quis requiescat in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iusticiam, & reliqua. Describuntur etiam officia personarum omnium, tum inter ciues ipsos, tum erga exterros, & aduersum

psal. 14.

ANNAE. 2. 2. 1.

uersum hostes. Non desunt absolutissimæ formæ principalium edictorum, senatusconsul torum, non forma iudiciorum. In summa, totum ius naturale, & ciuile, & omnibus populis ac gentibus obseruandum, tota iusticiæ & æquitatis scientia in uolumine diuinorum literarum continetur. Quapropter populus Israëliticus saluam & in columem habuit rem publicam sub iudicibus et bonis regibus, Dauide, Solomone, Iosaphat, Ezechia, Iosia, quamdiu leges diuinitus traditas coluit. Quoties uero contemptis & præteritis legibus sacræ prudentia sua nixi sunt Israelitæ, & libidines proprias fecuti, quisque deflexit in uiam suam, miserias & calamitates omnigenas experti sunt. Et prædicato quidem euangelio Christi per totum orbem, non modo barbaræ gentes deseruerunt ferinos mores & consuetudines, & leges ini quas, uerum etiam populi literis & cultu humaniore ingeniorum formati, contemptis philosophorum præscriptionibus, quæ non perinde quadrabant ad perfectissimam rationem uerbi diuini, consenserunt unanimes in ius & leges Christi. Utqe per Esaiam & Michæam prædictum fuit, ita factum in probatis historijs legimus. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in uertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes,

Esa. 2.

Mich. 4.

gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domū Dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambula himus in semitis eius. Quia de Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in uomeres, et lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Iacob uenite, & ambulemus in lumine Domini. Itaq; Romani principes postquam eis innotuit doctrina Christi, & animaduerterunt præcepta iuris generalissima & suprema, in quibus uniuersum ius cōtinetur, puta, honeste uiuere, neminem ledere, suum cuique tribuere, in sacris literis absolutissimè tradi: subiecerunt leges Romanas sacris canonibus ecclesiæ Dei, non utique constitutiunculis quibuslibet Romanii præsulisi, sed scripturæ canonicæ, & legibus Christi. Et hactenus leges Romanas uolerunt ratae esse, quatenus non repugnarent legibus diuinis, quibus optimè regitur tota resp. Christiana. Quin Alexander Seuerus imperator, iudicij acerrimi uir et singularis prudentijs, iustitiæ uero tenacissimus, licet professione nō esset Christianus, tamē in uno præcepto Christianæ doctrinæ, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris: tam absolutam iustitiam, & aequitatem,

tem, & sapientiam inesse perspexit, ut curauerit  
eam sententiam, ueluti gnomonem omnium le-  
gū & iuris, passim describi aureis literis per im-  
peratorium palatum. Et dum suppliciū sume-  
retur à sacerdotibus, uoluit eam sententiam promul-  
gari per preconem, qua ciues omnes extimula-  
rentur ad obseruationem iustitiae. Porro quia  
ecclesia est templum Dei, ut Apostolus uocat, Ecclesia  
consecratum sanguine summi & maximi pontemplo  
tificis Iesu Christi, estqe gens sancta & regale sa-  
cerdotium, ut Petrus inquit post Mosen, cuius  
antistitem supremum & æternū agit Christus:  
diuina scriptura ius pontificium continet abso-  
lute, quo describuntur sacra & ceremoniæ, et sa-  
cerorum ritus, et omnes partes cultus, qui Deo  
gratus & acceptus est. Describuntur feriæ, et lo-  
ca exercendæ religioni apta, et ministrorum de-  
lectus, ordinatio, functiones, uectigalia sacra et  
tributa ærarij ecclesiastici, quomodoqe paupe-  
ribus, hoc est nō postremo ordini ecclesiæ sub-  
ueniri debeat. Officium quoqe summi pontifi-  
cis ecclesiæ catholicæ Christi Iesu plenissime  
ostēditur tum in typis Mosaicis, tum in diuina  
interpretatione horum, quam exhibet epistola  
ad Hebræos. Quumqe unus liber Mosis, qui  
Leuiticus inscribitur à Græcis, totum ius pon-  
tificium comprehēdat, præter paucula quæ in  
Exodo & libro Numerorū plenius describun-

K tur,

tur, & plenè tradat ministerium sacerdotij Aha  
ronici tam multiplex & uarium, stupenda pro-  
fecto est peruersitas illorum, qui post accessio-  
nem, imò absolutionem Christiani sacerdotij,  
quod literis apostolicis & euangelicis descri-  
bitur, ausi sunt plaustralia uolumina iuris cano-  
nici inuehere in ecclesiam. Neque aliud oracu-  
lum Deus in ecclesia & templo suo augustissi-  
mo aperuit, quam diuinam scripturam, ad  
quam ueniant principes & priuatí homines  
consulturi Dominum, & de rebus suis sciscita-  
turi. Quod in ornatu summi pontificis aptissi-  
mo typo figuratum est. Quum enim naturæ  
hominis insitum sit, ut percipiatur res arcanae co-  
gnoscere, & maxime futurorum prænotionem  
expetat, ne populus Israël uana diuinatione se-  
duceretur, sicut ethnici curiositat & supersti-  
tioni & credulitati stultæ indulgentes, impostu-  
ris caco dæmonis & diuinaculorum, qui se di-  
uinæ mentis & consiliorum consciens esse men-  
tiuntur, miserè seducebantur: alligavit Deus  
ueram diuinationem certo loco, & personæ, &  
organo diuinationis peculiari. Quum enim  
incidisset res obscura & inexplicabilis, quam  
neque periti legum diuinatarum Leuitæ, neque  
aliij homines Dei, quibus uelut secretarijs inti-  
mis solitus est Deus aperire arcana sua iudicia,  
possent explicare, præcepit Deus eam referre  
ad

Scriptura  
est oraculū.

ad tabernaculum aut templum cultui diuino dedicatum, ibīq; os Domini consulere. In tabernaculo autem testimonij, seu constitutionis, sacerdos adhibito ephod & rationali, quæstionē referebat ad Deum. Sonat aut̄ ωδὴ ιερὴ hōsen hamispāt, thesaurum iudicij, quod interpres Græci uerterunt in νοῦν, id est oraculum. Fuit enim instrumentum, quo sciscibantur iudicium diuinum, abstrusum à cognitione humana, tam de præsentibus quam de futuris negocijs. Cuius equidem formam, & compositionem, & usum, qui diligentius perpenderit in Mose & ueterum commentarijs, non obscurè animaduertet rationale, siue oraculum potius, & thesaurum iudicij, typum gesisse diuinæ scripturæ. Nā ea nobis pectus summi pontificis Christi exhibet inspiciendum, & docet, quid singulis aut uniuersis expectandum sit, & qua uia mala effugiant, & bona consequantur, ac retineant. Ad hæc quia Do minus monstrat nobis unicum magistrum ecclesiæ, qui in coelis est, consecraneum uidetur, ut ecclesia scholæ, & quidem sapientissimæ ad similis sit. Bibliotheca uero spiritus sancti censi debet scriptura diuina. In qua nullum genus scriptorum desideratur. Nam historia texitur ab origine mundi per annos plus quartæ mille. Quæ ut optima fide scripta est,

Ecclesia  
schola.

ita nullum exemplum uitæ uel ex præscripto diuino transactæ, uel contra Deū transactæ prætermittit. Et uaticinia referuntur, quæ fata maneat populum Dei usq; ad mūdi finem. Nam in ultimum diem huius seculi, adeoq; in ipsam æternitatem extenduntur uaticinia Danielis, & Apocalypseos Iesu Christi. Non deest bona copia hymnorū, & sacratissimorum carminum. Formantur mores, instituitur cœconomia, explicantur politica, ratio propriè & disertè & perspicuè dicendi ostenditur: omniumq; artium et scientiarum usus legitimus indicatur in sacris literis. Postremò à uita hominis, & ijs  
*Tropi dui-*  
*ta hominis*  
*mutuo sum*  
*pti ad uer-*  
*bum Dei.*  
 quæ ad uitam tuendam spectant, plurimæ similitudines præbentur, quæ uerbi diuini usum multiplicem in uniuersa uita hominis ostendunt. Nam baculi uicem gerit, quo gressus reguntur: & lucernæ positæ in loco obscuro, ut apostolus Petrus docet, & Dauid, & Christus in Euangeliō. Est etiam stathera, qua omnium rerum pondus ad æquilibrium ueritatis examinatur. Aquæ & ignis, et aeris & salis usum præbet: sine quibus nullo pacto uita mortalium durare potest. Est potus et cibus spiritualis animæ. Est medicina, qua bona ualetudo conservatur, quaq; morbi animorū, ignoratio ueri, et falsæ opinions de Deo & diuinis rebus, affectus praui, uitia, opera carnis, & id genus innumerimorbi

morbi curantur. Est intellectus hominis integer, de quo Moses ait: Scitis quod docuerim Deut. 4. uos præcepta atq; iusticias, sicut mandauit mihi Dominus Deus meus. Sic facietis ea in terra quam possessuri estis, & obseruabitis et implebitis opere. Hęc est enim uestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes uniuersi præcepta hęc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Postremo quia oraculatis scriptura Mosis & prophetarū, euangelista rū & apostolorū deriuata est ex æterno uerbo Dei per spiritum sanctum, et ad eum scopū atq; finem se reflectit: Christus enim finis legis est, ad salutem omni credenti: & Christum ubiq; sonat atq; refert, Spiritus enim prophetarum est testimonium Iesu: diuina scriptura, quum à spiritu sancto in mente per fidem excitatur, ex li-  
 tera fit spiritus & uita, sicut Dominus pronun-  
 ciat: Verba quæ loquor, sunt spiritus & uita.  
 Viuit enim Christus, qui est uia, ueritas, & uita  
 in homine, & homo uicissim in Christo per ue-  
 ram pietatem & religionem Christianam, quæ  
 constat fide sincera in Deum patrem, Deum fi-  
 lium, Deum spiritum sanctum, & amore san-  
 cto Dei & proximi hominis, & spe firma, expe-  
 ctatione certa eorum quæ promisit aut mina-  
 tus est Dominus uerbo suo. Ex qua uita spiri-  
 tuali uirtutes omnes progenerantur, & per uir-

tutes ueras, officia & præclaræ actiones, & conuersatio digna professione Christiana. Est enim Christianismus informatio ad similitudinem Dei, quantum quidem à natura hominis præstari potest. Sic namque Basilius magnus in hexameron uitam Christianam definit, πιστούς; θεού δομού τοις εὐθέων προσευχαῖς. Et adiicit, ἐκενόντοι εἰναὶ χριστανοί, ἐπείχθη γενέας δομος θεοῦ, εὐθύναι χριστού. Si receperisti in te, inquit, ut profitearis te Christianum esse, da operam, ut similiis Dei sis, & Christum induie. Etenim homo per ideam perfectissimam uerbi diuini reparatus ad imaginem & similitudinem Dei parentis, coniungitur & unitur summo & unico bono, soli sapienti, soli beato Deo, & ex illius coniunctione atque participatu accipit, ut ipse quoque sapiens & bonus & beatus existat in hoc quidem seculo, quantacunque potest esse hominis felicitas, tot miserijs expositi ex communione omnium sorte: in futuro autem seculo percipiat possideatque plenam sortem & haereditatem filiorum Dei per Iesum Christum, & cum filio Dei unigenito, qui uenit in mundum, ut saluos faceret peccatores credentes in nomen ipsius, & eueheret in diuinæ beatitudinis atque gloriae immortalis confortium.

Confutatio

CONFUTATIO EORVM,  
qui negant diuinam scripturam & uerbum  
Dei clarum, certum, plenum & abso-  
lutum ad insituendam totam uitam  
Christianam.

V Ideor mihi equidem, principes & populi  
Christo regi regum & summo pontifici,  
& monarchæ totius mundi obedientes, pro-  
lixè demonstrasse, tum ex natura uerbi diui-  
ni, tum ex testimonij authenticis scripturæ  
canonicæ, tum grauissimis testimonij homi-  
num excellentium, quod in titulo promisi me  
demonstraturum esse, quod à solo uerbo fi-  
lioq[ue] Dei petenda sit exacta cognitio temporū  
præsentium & futurorum, & reip. Christianæ,  
atq[ue] totius uitæ moderatio optima. Verū quia  
nō desunt homines pestilentes, qui quum apte  
scripturas diuinæ nō audeant negare, conatur  
autoritatem earum per cuniculos & uulpecu-  
lari astu, imò satanicis artibus subruere: uidetur  
nō alienum à proposito, si pestiferos et impios  
sermones eorum breuiter refellam. Nam iudi-  
cia hominum Christianorum hac in parte me-  
tuentes, ne dicant plane, scripturis non esse si-  
dem attribuendam, et ne tollant simul scriptu-  
rarū testimonia, quibus maligne interpretatis  
fulciunt.

fulciunt suam tyrannidem, obliquo ductu molliuntur exteriorere basim ueritatis et ueræ sapientiæ in ecclesia. Dicunt enim non omnia plenè

*Scriptura plene continet institutionē uite Christianae.* contineri in sacris scripturis, quæ ad ecclesiæ gubernationem, et ad piam sanctamq; uitam, et ad felicitatis æternæ consecrationem utilia et necessaria sunt. uidelicet ut stabiliant communitatis suas leges, quibus ecclesiam onerarunt, uel potius oppresserunt, et uerbum Dei quoddam non scriptum, sed æque credendum, ac si scriptum esset in canonicis literis. Et ad hoc persuadendum uiolentissime detorquent scripturæ sancte sententias. Veluti quod Christus Dominus apostolis dicit: Qui uos audit, me audit. Habeo multa, quæ uobis dicam, sed iam non potestis capere: quum autem uenerit spiritus paracletus, deducet uos in noticiam omnis ueritatis. Qui non audit ecclesiam, sit tanquam ethnicus et publicanus. Item quod Dominus promittit, ubi duo uel tres congregati fuerint in nomine ipsius, ibi futurus sit in medio illorum. Huc etiam detorquent, quod Paulus scribit Corinthijs: Cætera quum uenero, disponam. & Thessalonicensibus: Fratres state, et teneat traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Quasi uero Christus & apostoli aliquid prætermiserint uile, aut necessarium cognitu: aut tradiderint aliquid

aliquid uoce uiua, quod pugnet cum eorū scriptis. Age uero quod nam est illud uerbum Dei non scriptum, & tamen obseruatu & creditu necessarium ad uitam beatam? Articuli & dogmata fidei, leges & præscripta uiuendi, & scripta quæ approbauit Romanus Pontifex, sedes apostolica, synodi & cōcilia Rom. pontificis auctoritate indicta, coacta, celebrata, & ex sententia ipsius terminata. Quid continet autem uerbum Dei non scriptum in codice diuino, sed excogitatum ab hominibus, & repositū in quodlibeto Romanipræsulis: Rom. pontificē neq; Deum neq; hominē esse, uerum quiddam compositū ex Deo & homine: Romanum pontificem nō posse errare, eiusq; uoluntatem esse perfectam. In scrinio pectoris ipsius conclusa esse omnia iuria, & ipsum adeò solum esse ius uiuum in terris: Ad eum, ut supremum iudicem, referendas esse omnes causas, ipsum à nullo iudicari homine posse: etiamsi cernerent homines, ipsius culpa multas animas ad inferos precipitari: Romanū pontificem esse solem, Cæsarem esse lunam, que omnem splendorem à sole accipiat: Reges & imperatores Christianos ad iussa Romani pontificis obstrictos esse, ac posse ab ipso deponi ē solijs, & alios in locum eorum imponi: Romanum pontificem esse concilijs & episcopis & legibus superiorem, superiorem etiam sacra scri-

L ptura,

ptura, uerum esse Christi uicariū, & caput ecclē  
siæ catholicæ: quorum nihil scriptum est in scri  
pto & expresso uerbo Dei. Præterea uerbum  
Dei factitium, et neque scriptum neque dictum  
in cœlo, sed conclusum in quodlibeto Roma  
ni pontificis, habet cœlum uænale, in quod  
multi ascenderunt per canonisationem, nō tam  
uitæ merito, quām ob numeratam pecuniam:  
& purgatorium animarum quæstus uberrimi,  
quod dę metalla omnia totius Europæ longe su  
perat. Habet missam, sacrificiū pro uiuis & mor  
tuis, merita uænalia, opera supererogatoria, im  
mēla tributa ex mortuis, inferias depositionis,  
septimas, tricesimas, anniuersarias, indulgen  
tias plenarias omnium peccatorum, & millena  
rias, centenarias, quadragenarias. Habet uene  
rationem simulachrorum, & reliquiarum, inuo  
cationem dę & patrocinia diuorum, paſtagia &  
peregrinationes ad statuas, confessionem auri  
cularem, uota, coelibatus, delectum ciborum  
causa religionis, triplicem coronam, galeros  
cardinalios, cucullas, pallia, rasuras, unctū  
ras, nouos ordines, nouas ſectas, noua ſacra  
menta. Habet res conſecratas plurimas, & non  
contemnendī precij, oleum, ſalem, herbas,  
bullas, ceram, plumbum, quæ ſuperant argen  
tum, aurum, & topazium: fumos denique,  
& mercem innumerabilem apostatarum Symo  
nis

nis magi & Iudæ Ischariothici, & sectatorum, qui religionem quæstum putant, & fictis sermonibus negociantur de simplicibus : qui bus dulcis est odor lucri qualibet ex re : qui pelliciunt animas instabiles, habentes cor exercitatum in auaricia, filij maledictionis, & de relicta uia recta errantes ac sequentes uiam Ballaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, subiugali etiam iumento prohibente insipientiam pseudoprophetæ. Quæ quidem præcepta & traditiones hominum, & doctrinæ spirituum erroris, è quibus conflatum & consarcinatum est quodlibetum iuris papistici, partim habent speciem sapientiæ in humilitate & superstitione: partim ita redolent sordes & auariciam, fastum, luxum, ambitionem & tyrannidem hominum pauculorū, ut quiuis non obesa naris sentiat. Usque adeò autem ad pietatem Christianam nihil faciunt, ut etiam ex diámetro cum illa pugnent. Nam Christi gloriam & summa beneficia obscurant, & fidem in nomen Iesu extinguunt, & charitatem lædunt, spem labefactant, bonos mores corrumpunt, prauis affectibus frenal laxant, homines reddunt securos et contemptores iudiciorum Dei, impijs palpāt, impoenitentibus pollicētur impunitatē scelerū, uitjjs & scelerib. ianuā aperiunt, laqueos tendūt imprudentib. conscientias multorū uulnerant,

& in multis offendunt teneros animos, & nec  
dum solida noticia Christi confirmatos. Con-  
*Ezech. 13.* tra quos propheta Ezechiel authoritate diuina  
tonat et fulminat: Audite verbum Domini, hec  
dicit Dominus Deus: Vae prophetis insipienti-  
bus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil uident.  
Quasi uulpes in deserto, prophetæ tui Israël er-  
rant. Non ascendistis ex aduerso, neque opposui-  
stis murum pro domo Israël, ut staretis in præ-  
lio in die Domini. Vident uana, & diuinat men-  
daciū, dicentes, ait Dominus: cum Dominus  
non miserit eos, & perseverarunt cōfirmare ser-  
monem. Nunquid non uisionem cassam uidis-  
tis, & diuinationem mendacem locuti estis? Et  
dicitis, ait Dominus: cum ego non sim locu-  
tus. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia  
locuti estis uana, & uidistis mendacium: in con-  
cilio populi mei nō erūt, & in scriptura domus  
Israël non scribentur, nec in terram Israël ingre-  
dientur: & scietis, quia ego Dominus Deus, eo  
quod deceperint populum meum dicētes, pax  
pax, et non est pax. & ipse ædificabat parietem,  
illi autem liniebat eum cum luto absq; paleis. Et  
in fine orationis inquit: Dirumpam ceruicalia  
uestra, et liberabo populum meum de manu ue-  
stra, neque erunt ultrà in manibus uestris ad præ-  
dandum: & scietis, quia ego Dominus. pro eo  
quod incerere fecistis cor iusti mendaciter, quæ  
ego

ego non contrastauit, & confortastis manus im-  
pij, ut nō reuerteretur à via sua mala, & uiueret,  
propterea uana non uidebitis, & diuinationes  
non diuinabitis amplius: & eruam populum  
meum de manu uestra, & scietis, quia ego Do-  
minus. Desinat igitur hostes ueritatis, et calum-  
niatores scripturarum, fugillare uerbum Dei  
scriptum, ceu nō plenē tradat omnia, quæcunq;  
pertinent ad uitam Christianam instituendam  
publicè & priuatim: ut uerbū Dei non scriptū,  
imò figmentum pectoris humani ecclesie obtru-  
dant, quod habeatur in pari dignitate atq; pre-  
cio cum explorato & ab uniuersa ecclesia san-  
ctorū recepto uerbo Dei. Nam quæ per istud  
factitium uerbū Dei stabilire machinantur, neq;  
ad pietatem aut sanctimoniam, neq; ad felicita-  
tem hominis uel tantillum faciūt, adeò ut etiam  
officiant plurimum. Deinde scripturæ sanctæ  
non tacuerūt de illis omnibus imposturis pseu-  
doprophetarum, non ut probarent & cōmen-  
darent hominibus, sed ut detegerent mendacia,  
& demolirent omnem altitudinem, quæ se  
erigit contra scientiam Dei, & captiuum duce-  
rent omnem intellectū in obsequium Christi.  
Et qua fronte audent pestilentissimi calumnia-  
tores, doctrinā pietatis in scripturis canonicis  
compræhensam, imperfectā dicere, quæ agmi-  
na confessorum & martyrum & perfectissimo-

rum hominū produxit: quæ perfecta fuit ante aduentum Saluatoris: quæ in Mose perfectissimè continetur, ante omnium prophetarum sermones editos, qui modo extant; quæ in decalogo legum diuinarum tota continetur: quæ gemino præcepto charitatis erga Deum & erga proximū, teste Domino Christo, absolutissimè cōcluditur: An nō dicit Ecclesiastes 12. cap. Faciendi plures libros nullus est finis, frequensq; meditatio carnis afflictio est. Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius obserua, hoc est, omnis homo. Neq; contentus fuit Dominus Deus unum dogma aut præceptum uitæ semel perscribi, sed aliquoties repeti uoluit. Ut cernamus liquidè, unam fuisse doctrinam ueræ pietatis, eamq; perfectam & absolutam ante diluvium, post diluvium usque ad Moysen, à Mose usq; ad Christum seruátorem, qui anno 64. postquam ascendit in cœlos, diuina reuelatione per Ioannē apostolum edita, supremam organo diuino manum apposuit, una sententia iugulans omnes impios temeratores diuinæ scripturæ, qui uel addere aliquid, uel demere, uel aliquid mutare ausi fuerint. Sic enim claudit Christus Dominus prophetiam & theologiam suam: Contestor omni audienti uerba prophetiae libri huius, Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illū plgas

gas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro uitę, & de ciuitate sancta, et de his, quae scripta sunt in libro isto.

Verū enim uero non satis est blasphemis istis canibus et porcis, traduxisse diuinā scripturam uelut mutilā & imperfectā ad erudiendos homines, in omnib. rebus quae uitā beatā concernūt, cīq̄ humana cōmenta sub falsissimo titulo uerbi diuini æquasse, nisi calumniētur etiā eam esse incertā & dubiā, neq; fidem inuenire, aut mereri autoritatē, priuilegiis ab ecclesia & cōcilijs, & pontifice Rom. approbat. At in qua barbara & immani gente putat sceleratissimi nebulones se uoces tam blasphemias effutire? Aut quis putet inesse cerebrū sanum et cor hominis, istis qui talia disputant inter Christianos: ad quorū mentionem paulo cordatiōres Iudæi uestimenta discerperent, & unguibus laniarēt corpus totū, ut ad extremā blasphemiam: Et doctores quidem Iudæorū fatentur, nullum esse locū in lege & prophetis sic ambiguū, ut à peruersis & uiolētis interpretib. torqueri possit in alienā sententiā, ut nō suppetat apertiores sententiæ eadē de re, que malignos interpres & hæreticos ualidē redarguāt. Cuius rei fidē faciat duo magistri Iudæorum primarię autoritatis, tractantes scripturas, in quibus attingit mysteriū trinitatis & unionis in

Scriptura  
sacra est  
certa, ex  
explorata  
fidei.

in diuina maiestate: quo dogmate nullum est su  
blimius, & in quo uelut in petra offendiculi tu  
perfida gens Iudaica, tum hæretici omnes po  
tissimum impegerunt, & circa fidem naufragium  
fecerunt. Sribit enim rabbi Moses Hadarsan,  
hæreticos interrogasse magistrum Semlai, quid  
sibi uelit, quod in Genesi scriptum est: In princi  
pio creauit Diu coelum & terram: eumque respon  
disse: in omni loco, in quo inuenis pro hæreti  
cis obiectionem, inuenis quoque medicamentum  
illius in latere eius. Etrabi Iohanan, ut refertur  
in libro Sanhedrin, dixit: Omnem locum unde  
Epicurei facti sunt hæretici, respositionem habe  
re in latere. Vbi enim dicitur, Faciamus homi  
nem ad imaginem nostram: subditur etiam, Et  
creauit Diu hominem ad imaginem suam. In tan  
ta etiam ueneratione Moses & alijs diuini scripto  
res fuerunt apud sapientiss. & optimos uiros  
inter gentiles, ut quidam uniuersam Platonis  
scientiam Mosi acceptam retulerint. Notum est  
enim, Numenium dixisse, Platonem esse Atticum  
Mosen. Quid autem memorem Eusebij, Theo  
deriti, Iustini, Hieronymi, Augustini, & aliorum  
theologorum dicta de certitudine, & indubita  
ta fide, summaque autoritate sacrarum literarum,  
cui cedant omnium hominum iudicia & auto  
ritas, quæque in se contineat rationes solidissi  
mas & certissimas, quibus in speciem & prima  
fronte

fronte ambigua explicetur; Et tamen perditissimi nequam nō uerentur diuum Augustinum doctorem in primis catholicum, pertrahere in suā hæresim detestabilem, propterea quod scripsit: Nō crederem Euangelio, nisi me cōmoveret autoritas ecclesie catholicæ. Sed facile Augustinum à tanta infamia liberat tum alia multa quæ passim in scriptis suis pronunciat de autoritate scripturarum, tum illud quod ad diuum Hieronymū scribit, classicum doctorem ecclesie, quodcū ponitur in 9. distinctione decreti papistici, uerum truncatim. Sic enim scribit Augustinus in controuersia, quæ illi fuit cum Hieronymo de simulatione Petri, & quod nulla suspicio mendacij in literis diuinis recipienda sit: Ego fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hūc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum auctore scribendo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium ueritati, nihil aliud quam uel mendosum esse codicem, uel interpretē non esse assicutum quod dictum est, uel me minimē intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi uel per illos autores canonicos, uel probabili ratione, quod à uero nō

M abhorreat,

abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi  
frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus in-  
quam non te arbitror sic legi tuos libros uelle,  
tanque prophetarum & apostolorum: de quorum scri-  
ptis, quod omni errore careat, dubitare nefarium  
est. Hactenus diuus Augustinus. Desinant igitur  
aliquando tandem pestilentissimi nebulo-  
nes, & organa satanæ delectissima, calumnijs  
blasphemis eleuare fidem scripturæ sanctæ, &  
supremam autoritatem diuinæ maiestatis sub-  
tijcere iudicijs, definitionibus, determinationi-  
bus, approbationiç hominum qualiumcum-  
que. Aut si non possunt continere uirus illud  
Ietiserum antiqui serpentis, abeant ad Turcas  
& Tartaros, quorum mentes infecit & corru-  
pit prorsus insana pseudoprophetia Machume-  
tis. Qui cum fateatur Mosen & prophetas uera  
scripsisse, & Iesum filium Mariæ virginis perfe-  
ctissimam doctrinam ueræ pietatis tradidisse:  
contendit tamen, ueterem scripturam à Iudæis,  
& doctrinam Iesu à Christianis ita esse deprava-  
tam, ut nihil integri, nihil certi & explorati sit  
relicquum, nisi quantum continentur in Alcora-  
no suo: quem librum Deus exhibuerit ut sup-  
plementum, & firmamentum, & unicum thesaу-  
rum ueritatis & spectatæ sapientiæ. Illis igitur  
belluis, quibus Machomet placet, persuadeant  
diuinas scripturas incertas & dubias esse: qui-  
bus

bus fides & autoritas nulla deberetur, nisi iudicio ecclesiæ & conciliorum & Rom. pontificis approbatæ essent. Nobis enim minimè gentium id persuadebunt, quibus euangelium est virtus Dei ad salutem omni credenti: & Christus Iesus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, ut qui gloria, in Domino glorietur. Quibus Dominus Christus dixit: Cœlum & terra transibunt: uerba autem mea non transibunt. Et citius ruiturum esse cœlum & terram, quam ut unum iota excidat ex scriptura legis & prophetarum, ut non omnia perficiantur quecumque scripta sunt. Scimus uerbum Domini malleū esse, qui cōtundit petras. Scimus legem psal. 18. Domini immaculatam, quæ conuertit animas: testimoniu Domini fidele, quod sapientiā præstat paruulis: iustitias Domini rectas, quæ lœtificat corda: præceptū Domini lucidū, quod illuminat oculos: timorē Domini sanctū, qui permanet in seculū seculi: iudicia Domini uera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurū & lapidē preciosum multū, & dulciora super mel et fauū, quæ quidē seruus Dei custodit, & in custodiendis illis est retributio multa. Absit, absit, ut gloria Dei tribuat hominibus, & uerbū Dei non plus fidei & autoritatis habeat, q̄ illi autoritas hominū cōciliauerit. Propter me, propter Esa. 43. me faciam, inquit Dominus, ut nō blasphemēr:

M 2 Et

Et gloriam meam alteri non dabo. Audi me Iacob, & Israël, quem ego uoco. Ego ipse, ego pri-  
mus, & ego nouissimus. Manus mea fundauit  
quoq; terram, & dextera mea mensa est cœlos.  
Ego uocabo eos, & stabunt simul. Ego Domi-  
nus Deus tuus docens te utilia, gubernans te  
in uia, qua ambulas. Utinam attendissem  
data mea, facta suisset sicut flumen pax tua, &  
iustitia tua sicut gurgites maris. Et suisset quasi  
arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli  
eius: non interiisset, & non suisset attritum no-  
men eius à facie mea. Egredimini de Babylo-  
ne, fugite à Chaldæis. Vult quidem Deus pro-  
bari spiritus num ex Deo profecti sint, & non  
facile assentiri cuiuis loquenti in nomine Dei:  
quando id pseudoprophetæ etiam facere pos-  
sunt: & ne circumferamur quovis uento do-  
ctrinæ. In Deuteronomio quoque regula præ-  
scribitur, qua pseudoprophetæ à ueris prophe-  
tis discernantur, & qua poena debeant affici,  
qui falsis doctrinis à uero Deo abducunt. Vult  
etiam Deus uerbum suum diligentissimè per-  
pendi & iudicari: quemadmodum bonus prin-  
ceps cupit leges suas penitissimè inspici & cen-  
seri, & præceptor dictata sua examinari uult:  
& pater pius à liberis dijudicari optat, quæ  
cunque iniungit & præcipit, aut quæ ihs qui  
peregré absunt, per epistolas mandat. Quis  
autem

autem sanæ mentis, dicat uel prícipem & leges  
 príncipales authoritatem à populo accipere,  
 quam in se habent, & ad populum adferunt?  
 uel præceptorem & eius dictata confirmari à di-  
 scipulis; uel monita & præcepta parentū, & ip-  
 sos parentes dignitatem & ius præcipiendi ac-  
 cipere à liberis? Quæ nam ecclesia, aut quod cō-  
 cilium, aut quis pontifex maximus authoritatē  
 adhibuit uerbo Dei, quod Dominus locutus  
 est ad primos parentes generis humani ante la-  
 plum, & post lapsum: Quis confirmauit doctri-  
 nam Noe aut Enoch? Quis conciliauit authori-  
 tatem legibus Mosis & prophetarum? An scri-  
 bae & pharisæi & príncipes populi approbarūt  
 doctrinam Christi & apostolorū? Quid enim  
 pharisæi dicuntijs qui de Christo honorificè lo-  
 quebantur? Nunquid & uos seducci estis? nun 10*an.* 7.  
 quid ex príncipibus aliquis credidit in eum, aut  
 ex pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit le-  
 gem, maledicti sunt. Quid dicit Apostolus in  
 priori epistola ad Corinthios? Videte uocatio-  
1. Cor. 1.  
 nem uestram fratres, quia nō multi sapientes se-  
 cundum carnem, non multi potentes, non mul-  
 ti nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit De-  
 us, ut confundat sapiētes: & infirma mundi ele-  
 git Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mun-  
 di & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ nō  
 sunt, ut ea quæ sunt destrueret, & non glorietur

## THEOD. BIBLIANDRI

omnis caro in cōspectu eius. Ex ijs facile intelli-  
git, uerbū Dei neq; claritatē, neq; autoritatē &  
fidem, neq; gloriā ab hominib. accipere. Habet  
ēm natuā energiā & uim, suumq; propriū cha-  
racterē et phrasim, quā agnoscunt filij Dei, spō-  
sa Christi, gress Domini, spiritu sancto in pecto  
re eandem ueritatē reuelatē: uocē uero alienam  
respuūt. Quemadmodū eloquētiæ Ciceronia-  
ne studiosus, et in ea re mediocriter exercitatus,  
neq; Ciceronis esse agnoscit, qd mentit falsum ti-  
tulum uiri eloquentissimi: neq; cōcedit alij, qd  
dissimulato nomine Ciceroni suffuratus est. &  
tamen nemo dicet, Ciceronē inter eloquentissi-  
mos nō habendū esse, nisi studiosi eloquentiæ  
palmā ei concederēt. Sed potius illi sapientes, et  
eruditi, & nō expertes facultatis oratoriq; haben-  
tur, quib. Cicero eloquentissimus nō displicet.  
Sed quid tandem adferre possunt fanatici & dia-  
bolici locutores, qui persuadere conant̄ diuinæ  
scripturæ nullā esse autoritatē, quā nō acceperit  
ab hominibus: An quia multa cōtinet, quæ ca-  
ptum superant mortalem? Videlicet credemus  
mundum esse conditū ex nihilo, eumq; deletum  
inundatione aquarū, Israelitas sicco pede trāsisse  
mare rubrum, & Pharaonem persequente sub-  
mersum esse, ingentes copias fusas parua ma-  
nu, innumeram turbam alimentum accepisse,  
ubi nulla ratio uictum huianum inueniebat:  
filium

Dei carnē adsumpsisse, à pauculis idiotis mun-  
dum redactum esse in ditionem Christi : quia  
concilia determinarunt ita credendum esse, &  
non potius, quia in sacrī literī traditum est, &  
tot argumentis evidentissimis ab ipso Deo cō-  
probatum : An quia ignoratur, quis scripserit  
historiā Iudicum, aut Regum, aut Paralipome-  
non, an Mardocheus scripserit historiā Esther,  
an alijs quispiam, an Ioannes euangelista scri-  
pserit Apocalypsin Iesu Christi, an alijs Ioan-  
nes presbyter : Quanquam in ijs plerūq; no-  
dus in scirpo queritur, & in dubiū uocat, quod  
planum & clarum est. Sed tamen autores libro-  
rum quorundam incerti sunt. An uero autorita-  
tem ipsa scripta diuina per definitiones ecclesia-  
sticas accipiunt, quia scriptorum nomina igno-  
rantē. Notissimus est Moses vir Dei, notissimus  
Dauid, Solomon, Esaias, & alij prophetar um,  
notissimi euangelistæ & apostoli : cum quibus  
congruunt et reliqui scriptores, qui recensentur  
in canone diuinarū scripturarum. Ideoq; intel- Ecclesi.  
liguntur profecti ab uno pastore, ab uno magi-  
stro spiritus sancto. Et tam habetur vir Dei pro-  
pheta, qui Hieroboam redarguit, quanquam  
nomen ipsius obtinetur: quam Michæas, qui  
Achab & Iosaphat obiurgavit. An quia non  
creditum est diuinis literis, & multi homines  
contemnunt, ideo non habent autoritatem.

Ita

Ita quidem uerbo Dei authoritas defuit, quod annunciauit Noe, quod Moses, quod prophetae, quod apostoli, quod Christus prædicauit. Hodieq; post definitiones ecclesiasticas, quas isti nebulones iactitant, quantus est cõtemptus uerbi diuiní, etiam apud illos ipsos, qui uindices & assertores ueræ dōctrinæ uideri uolunt: Iam si quid desideratur in interpretibus, aut integratate codicū, id ex ipsa scriptura, & collatione exemplariorum resarciri potest: ut nemo inde meritò gloriari possit, diuinā literās accipere aliqd ponderis, aut fidei, & authoritatis ex authoritate hominū, & determinationib. ecclesiæ. Sed quid multis opus est uerbis, ut planū faciamus, diuinām scripturām ex se se & ex Deo habere supremam authoritatem, cui se tota ecclesia piorū summittit, aduersum illos homines, quibūs historia fide digna est Aurea legēda, & Lombardiā historia: qui credi uolūt somnijs monachorum frigidissimis: qui Petrum Lombardū sentiarum coaceruatorē ecclesię magistrum habent, quem plusquam CC. interpres nondum potuerūt certum & planum facere: qui scrinio pectoris papistici uniuersas leges & iura cōcludunt, cui quod libet liceat, et quod placet, imp̄ret, & quod imperat & præscribit, omnib. probetur: Postremò nequid desit ad cumulum extremae impietatis, audent etiam tenebriones sce*leraz.*

Scriptura  
sancta est  
claro.

Ieratissimi uerbo diuino & supremę ueritati suā propriam phrasim adimere, negantes eam simplicem, claram, perspicuam, & quæ indigeat ingenij mortalis opera, per quam illustretur. Videlicet ut glossulas friuolas ecclesiæ obtrudant, & falsis interpretationib. scripturam sanctā redigant in suam tyrānidem, & Romano pontifici arrogent omne ius interpretandi scripturas sanctas, quę priuatæ interpretationis haudqua quam sunt, uerū sancti spiritus, qui agit in ecclesia, quo etiā scripturæ proditæ sunt. Quid autē simplex & planū erit, si ueritatis supremę oratio plana non est : Quid luculentius dici aut scribi potest, q̄ euangelij doctrina, quę idiotis pariter & literatis parata est, pueris & senibus, ingenios & hebetis ingenij hominibus ? Et tamen nihil tradit, q̄ quod prius traditū fuit per Mosen & omnes prophetas : estq̄ cōmentarius diuīnę scripturæ ueteris instrumēti, cuius scopus Christus est. Tametsi non negauerim, quædam in sa-  
cris literis difficiliora esse intellectu pro ratione temporum & personarum, idq̄ citra iacturam pietatis Christianæ. ut enim situs locorum, & animalium discrimina & naturæ, formæq̄ uestium sacri & prophani usus, & ratio pōderum atq̄ mensurarum, aliaq̄ eiusmodi, olim notissima fuerunt, quum ex Mosaica lege obseruatio istorum ad religionis culturam pertineret, ita

N      hodie

hodie ignota sunt magna ex parte etiam excellentibus theologis, in quibus etiam interpres 70. & alij Græci, nec non Chaldæi & Latini potissimum dissident. Præterea Messiam natum ex uirgine prophetissa, de stirpe David, ante prophetam Esaiam non fuit proditum. Eodemque tempore Micheas patriam Bethlehem indicauit. Daniel autem CC. circiter annis post hos prophetas, enunciauit tempus quo Messias nasceretur, & salutis humanæ perageret negotium. In cuius tamen septimanis interpretandis uehementer discrepant Iudæi & Christiani. Et uocatio gentium ad cognitionē unius Dei, quæ testatissima est in omnibus prophetis, apostolum Petrum fugit, donec usq[ue] cœlesti edoctus est. Quid autem planius et magis perspicuum cogitari potest, quam quod in euangelio Dominus 12. apostolis loquitur: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & confundetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Sed quid testatur historia sacra de apostolis? Erat autem uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Id quod diuina dispensatione factum est, ut sermonem clarissimum discipuli Domini

Domini haudquaquam intelligerent de rebus, quas intra pauculos dies experturi erāt. Quem admodum antichristus omnibus notis & coloribus depictus est à Daniele, à Paulo, à Domino Christo: & tamen ueteres tractatores scripturarum, licet homines doctissimi & sanctissimi fuerint, de antichristo bestia execrabilis disserunt obscurius, ut qui rem per nebulam proslexerint, & non positam in clara luce. Debuit enim reuelari manifestè suo tempore, ut scribit Apostolus ad Thessalonicenses. Quid autē clarum et perspicuum erit, si clarissimus sol non est clarus? Atqui uerbum diuinū lumen est sole clarissimum, quo mentes humanae illustrantur. Quoties testatum est Christū esse lucem mundi, quae illuminat omnē hominē? Aut quae possunt esse tenebre in Deo, qui totus lux est? à quo fonte purissimae ueritatis profluxerūt sacræ literæ. Sanctissimus Dauid Mosaicā theologiam, quæ typis & umbris uenturi Messiae refertissima est, prædicat lucidam, quæ sapientiam præstet parvulis, & lucernam prælucentem pedibus. Et figuratur quidem uerbum Dei lucernis ardentiibus in tabernaculo & templo Domini, minime uero atris & extinctis carbonibus. Si quib. igitur sacra scriptura obscura uidetur, id suis uitiosis acceptum referat, quod imbuti falsis opinioribus, & affectibus prauis accesserint ad lectio-

nem uerbi diuini, aut oscitanter in ea uersent,  
aut gratia coelesti uacui & animales ad rerū cœ  
lestiū & spiritualium noticiā penetrare conent.

Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt

2. Cor. 4. spiritus. Et Paulus ad Corinthios scribēs inquit:  
Sicut opertū est euangeliū nostrū, in ihs qui pe  
reunt est opertū, in quib. Deus huius seculi ex  
cecauit mentes infideliū, ut nō fulgeat eis illumi  
natio Euāgeliū gloriæ Christi, q̄ est imago Dei.  
Non enim nosmetipſos prædicamus, sed Iesum  
Christū Dominū nostrū, nos autem seruos ue  
ſtos per Iesum, quoniam Deus, qui dixit de tene  
bris lucē splendescere, ipſe illuxit in cordib. no  
ſtris ad illuminationē ſcītiæ claritatis Dei, in fa  
cie Iesu Christi. Petrus quoq̄ loquens de excell  
entissima ſapientia Pauli, nō dictioni Paulinæ,  
aut rebus quæ in apostolica doctrina explican  
tur, sed hominibus imputat, quod nō nulli per  
uertūt scripta Pauli, ſicut et cæteras ſcripturas,  
in ſuam ipsorum perditionē. Ad hæc Christus  
Dominus proposita parabola, qua diuersi au  
ditores uerbi diuini figurantur, apostolis ait:  
Vobis datum est noſſe mysteria regni ccelorū,  
illis autē qui foris ſunt, in parabolis omnia fiūt:  
& quæ ſequuntur. Neq̄ uero ſolis culpa eſt, ſi  
luſciosi, aut cæci, aut cæcutientes, aut qui occlu  
dunt oculos, non poſſunt intueri lumen clarif  
ſimum ſolis, ſed in hominibus iſpis hæret uitium.  
Sed

Sed quid multis probemus diuinā scripturam sua natura claram, & simplicem, & planam esse; quod est luce meridiana clarissimum, aduersum cœcos criticos, & cœcorum duces, quibus Scotice subtilitates, & Thomisticum acumen, & chaos summularū atq; canonum, uidentur magis idonea erudiēdis simplicibus, quam simplicissimā oratio diuinæ ueritatis: quibus Aristoteles uidetur lumen rationis clarissimum, & iubar sapientiae fundere, quo scholæ Christianæ illustretur: Et quorū tēdat execrabilis calumnia, qua pertinet diuinam scripturam, quod sit obscura, & quod fenestram aperiāt hæresibus, nisi ordinarijs & ab ecclesia Romana approbatis interpretationibus exponatur: patet ex plurimis glossulis magistralibus, quæ uerba scripturæ sanctæ à genuina & nativa sententia uiolentissimè torquent ad ecclesiæ Romanæ fastū, ambitionem, auaritiam, luxū & tyrannidem confirmandum & alendū. Utq; paucula ex infinitis referamus, nonne planissima est sententia uerborum Domini, quū loquitur in euangelio secundū Ioannem cap. 10, de gentibus adducendis per euangelij prædicationem ad regnum Dei: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, ut fiat unum ouile, & unus pastor: Quis non prorsus imperitus uaticiniorum de uocatione

N 3 gentium,

gentium, & literarum apostolicarum, non intelligit, loqui Christum de gentilibus, fore utre quiescant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei, & sit una ecclesia catholica, unus grex

**Ezech. 37.** sub pastore Iesu Christo: De quo Ezechiel cap.

37. clarissime differuit. Si autem audiamus iuratos interpres Romanæ ecclesie, unum ouile significat unam Romanam catholicam ecclesiam: & unus pastor, unum pontificem apostolicum, catholicum max., eiusdem ecclesiae Romanæ, cui parere sit de necessitate salutis. Petro confidenti nomine omnium discipulorum, quod Iesus sit Messias filius Dei uui, dicitur: Beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. & quæ sequuntur. Sententia catholica non est, quam uerba sua sponte exhibent homini studio pietatis: ecclesiam ædificatam supra petram Christum filium Dei uui, quem Petrus confessus est, de qua petra loquitur Esaias:

**Esa. 28.** Ecce ego mittam in fundamētis Sion lapidem, lapidem probatum, angularē, preciosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Quod ad Christū pertinere testatur interpres diuini, apostoli Domini; Petrus quidē in priori epistola

epistola cap. 2. Paulus uero ad Rom. scribens 9.  
cap. & in epistola priore ad Corinthios, quū di-  
cit : Petra autē erat Christus. Quapropter ad-  
uersus ecclesiam nīxam & inaedificatam uerbo  
Dei, nō praeualent hæreses, aut ulli satanici im-  
petus. Eiō potestas est tradita per idoneos mini-  
stros prædicādi euangeliū, quę per clauē sc̄ientiæ  
significatur. Sicut etiam de scribis & pharisæis  
dicitur, quòd habeant clauem scientiæ, ipsi aut̄  
non ingrediantur in regnū Dei, & alios prohi-  
beāt à regno Dei, et notitia Christi benedicti in  
secula. Cæterū quicunq; credūt euāgelio promit  
tentи credentibus cōdonationem peccatorū &  
uitā æternā ex merito Christi filij Dei incarnati  
& mortui pro peccatoribus, liberantur à uincu-  
lis peccatorū, & tyrannide satanica, & morte æ-  
terna. Quicunq; uerò non credūt euāgelio, sen-  
tentia ecclesiæ catholicæ excludūtur à iustitia &  
uita æterna: idc̄ ratū est & sanctum in cœlo co-  
ram tribunalī diuinæ maiestatis. Verū hæc in-  
terpretatio erronea, & scandalosa, & hæretica  
est: quia non dat gloriam Deo terrestri, ponti-  
fici Romano : sed Christo, cui debetur omnis  
gloria, honor, uirtus, & imperium. Sed autem  
apostolicæ demum probabitur expositio, quæ  
asserit ecclesiam aedificatam super Petru, et Petri  
successores ecclesiæ Rom, pōtifices max, qui er-  
rare nō possint: eisq; data ē esse potestate cādem,

quam

quam Christus habuit uersans in terris, ut excō  
municent quoslibet, aut recipiant in ecclesiam,  
condant nouos articulos fidei, & dispensandi  
ius habeat in omnibus negotijs, ac figant leges,  
easq; cum libitum est, refigant, idq; uniuersum  
autoritate apostolica & diuina: cui resistere sit  
nefas, aut tacita cogitatione duntaxat sugillare.  
Satis aperta est mens Domini, quum initurus  
pugnam, qua uicit peccatum, & mortem, & in-  
feros, mundiq; principem diabolum, & caput  
antiqui serpentis contriuit, requirit à discipu-  
lis, ut gladijs muniti & instructi sint: non utiq;  
ut pro doctrina & religione Christi ferro decer-  
nerent, sed ut admoneret, gladio spiritus, quod  
est uerbum Dei, oportere instructos esse, qui  
certamina cōtra satanam & carnē & mundum  
subire uolunt. Nam Petro ferienti seruulum  
pontificis, idq; iniussu Domini, & ordinarij ma-  
gistratus, præcipit ut gladium recondat in ua-  
ginam, addens grauissimam gnomen: Qui gla-  
dium acceperit, gladio peribit. Sed quām bella  
& magistralis interpretatio est, quæ successori-  
bus Petri Rom. pontificibus aptat duos gla-  
dios, spiritualem & secularem: quibus hodie  
per tyrannidem pseudoepiscoporum maxime  
turbatur & uastatur ecclesia Domini Christi.  
Et usque adeò inualuit tyrannis papistica infa-  
cras literas, ut impulerit etiam uiros alioqui bo-  
nos,

nos, & doctos, & diligentes scrutatores sacra-  
rum literarum in absurdissimas interpretatio-  
nes. Id quod accidit etiam Nicolao de Lyra:  
cui non parum debent studiosi diuinæ scriptu-  
ræ. Nec protulit quisquam interpretationem  
tam rancidam, ne dicam uesanam, quæ non to-  
lerabilis uideretur, modo spiraret exaltationem  
Romanæ sedis, & assertionem papisticæ mo-  
narchiæ. Cuius rei exemplum unū aut alterum  
adduxisse ex diuina reuelatione Iesu Christi, nō  
erit superuacaneum, neq; alienum à proposito.  
Etenim quū prophetia Domini & Deinostri  
Iesu Christi differat de ipsius Messiae summo &  
æterno tum regno tum sacerdotio, & contrà de-  
antichristi crudeli, nefario, pestilenti, & planè fa-  
tanico dominatu, deq; utriusque principis ma-  
xime contrarij doctrina et religione, & sanctio-  
nibus atque institutis, & populo utriusq; : si qui  
scriptum sacratissimum interpretando accom-  
modarūt reformādæ ecclesiæ Romanæ, ut quæ  
antichristum magis quam Christum referat, si  
cuti fecit Vicleffius, Ioannes Hussius, Hierony-  
mus Ferrariensis, & alij : eorum interpreta-  
nes rejectæ & repudiatae sunt, iniusta nota hære-  
seos tum ipsis autoribus, tum eorum doctrinæ.  
Qui uero per angelos passim repræsentates ne-  
gotia ecclesiæ intelligi uoluerunt pontifices Ro-  
manos, & eorū adiutores: per dracones autem

O &amp;

& diabolos principes, qui se iudicio suo iuste  
opposuerunt pontificis Romani tyrannidi, ut  
multi fecerunt Germanorum principes nunque  
satis laudati, eorum expositiones censura pon-  
tifica meliori nota consignauit, & non inutiles  
iudicauit, qui publice uersarentur in scholis &  
manibus Christianorum. Ut uerbi gratia cap.  
16. phialam irae & ultionis diuinæ effusam in Eu-  
phratē, aliqui exponunt de Gregorio papa, qui  
primò fuit nominatus Hildebrandus, & præ-  
fuit ecclesiæ Rom. imperat̄e Henricho quarto.  
Inter quem et Gregorium papam mota fuit dis-  
sensio: eo quod Gregorius papa excōmunica-  
uit omnes electos in ecclesia, qui inuestiturā per  
annulum & baculū acciperent de manu laici cu-  
iuscunque: cū tamen imperatores et principes usi-  
fuissent hac potestate. Quare sic exponunt lite-  
ram de papa Gregorio septimo, qui fuit maxi-  
ma pestis ecclesiæ & totius orbis. Sextus ange-  
lus, id est papa Gregorius: effudit indignationē  
suam, in Rom. imperium, quod dicitur magnū  
flumen, propter populi subiecti sibi magnitudi-  
nem, unde dicitur in cap. sequenti: Aque multe  
populi multi. Nominatur etiam Euphrates, eo  
quod est quartū regnum, quod dicitur ferreum  
Dan. 2. sicut Euphrates est quartus fluuius pa-  
radisi. Et siccauit aquam eius, auferendo pote-  
statem inuestiendi, quantum ad electos, modo  
dicto.

dicto. Ut præpararetur uia, id est, ut electi, qui dicuntur reges, eo quod habent ecclesiam regere, possint libere ingredi ecclesiæ. Dicuntur etiā reges solares, quia sunt uicarij Christi solis iustitiae in dicecesibus suis, sicut papa in uniuersali ecclesia. Lyranus tamen aliter interpretatur, & magis propriè ad literam, ut putat, de Carolo magno, qui inuitatus à beato Iacobo, purgauit uiam ad eius sepulchrū prius ignotum: eo quod tota Hispania erat à Saracenis occupata, ut Vasconia & Nauarra. quos cum multis laboribus & bellis Carolus partim occidit, partim fugauit, & partim fidei Christianæ subiecit, uexatione illis intellectum præbente. Et hoc est quod dicitur. Sextus angelus, id est, beatus Iacobus, effudit Caroli magni potentiam, quem inuitauit ad puniendum gentem Saracenicam, quæ dicitur flumen magnū, propter populi illius multitudinē. Et siccauit aquam eius, auferendo Saracenorum potentiam. Ut præpararetur uia regibus, id est, peregrinis sancti Iacobi, inter quos frequenter fuerunt & sunt multi reges, & principes, & potentes. unde & ipse Carolus locum illum deuotè adiit. Possunt etiā alij peregrini deuoti reges dici, eo quod uiuit secundum regimen rationis rectæ, & legis diuinæ. Ab ortu solis: Sepulchrū enim beatilacobi est in occidente terræ habitabilis & cætera.

O 2 Et

& cap. 20. non minus lepida interpretatio est, quæ ineptias Chiliastrarum etiam superat. Loquitur autem scriptura sancta de regno Christi in terris, quod propagatum est per totum orbem prædicatione Apostolorū, præsertim Pauli, qui per angelum ē cœlo descendenter figuratur. Quod ubi durauit annos mille, satan erupit in mundum, & imperium obtinuit rursum in omni deceptione & signis mendacibus, quale & quantū habuit ante prædicatum euangeliū: ut posteriora tempora in multis populis detersa facta sint, quam antea fuerant. Sicut Iudeis accidit. Id quod impletum esse uberrime, nemo dubitat, qui animaduertet, anno millesimo ab excidio & consummatione Iudaici populi, Hildebrandum concendiſſe in fastigium summum populi Dei, hominē consutum ex diabolīcī cogitationibus & operationibus: & tamen adoratū p uero Christi uicario. Sed audiamus seraphicas interpretationes, & à sede apostolica probatas. Aliqui exponunt de Calypto papa & Henricho quinto, qui cogente illū Papa sub interiectione anathematis renunciavit consuetudini inuestiendi episcopos & abbates per baculum & annulū, qua usi fuerant per CCC. annos & amplius, à tempore Caroli magni. quæ potestas ei cōcessa fuerat ab Adriano papa in cōcilio Romæ celebrato. Sic igitur literam exponunt.

Vidi

Vidi angelum, id est papam Calyxtum; habentem potestatem excommunicandi, qua segregatur quis a consortio fidelium. Et cath. id est multitudinem cardinalium & prælatorum, in hoc facto sibi assidentium: & apprehendit draconem, id est Romanum imperatorem: & ligauit, per censuram ecclesiasticā, ne amplius dicto modo usurparet sibi ecclesiasticam iurisdictionem: Per annos M. id est per tempus Christi, quod currit usq; ad antichristum. & ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato: sicut per 24. seniores designatur uniuersitas episcoporum, cap. 4. Et signauit, id est sub poena excommunicationis restrinxit eum, ne amplius se intromittat de iurisdictione ecclesiastica. Et uidi sedes, id est summi imperatoris & pontificis iurisdictiones. Sederunt, unus exercens ecclesiasticā iurisdictionem, & alius temporalem. Sed huic expositioni nō consonat sequens litera: & animas decollatorum, &c. quod exponunt aliqui de persecutione Saladini, in qua multi Christiani fuerūt occisi. Item, quod oportet satanam solui modico tempore, exponunt de antichristi tempore, in quo laxabitur potestas dæmonis ad decipiens gentes. Ideo quod dicitur, per satanam intelligi Romanum imperatorem: uidetur Lyrano esse contradictione, et per consequens nimis extorta expositio. Quapropter literam istam tanquam

O 3 imple-

impletam de præterito putat, saluo meliori iudicio, exponi melius de papa Innocentio, qui approbavit ordines fratrum minorum & prædicatorum: per quorum doctrinam & prædicationem ecclesia est quodammodo renouata, & potestas dæmonis restricta. Vnde multæ dæmoni illusiones, quæ antè fiebāt, cessauerūt. Et hoc est qd dicit Ioannes. Vidi angelū, id est pavam Innocentiū tertiu: Descendentē de cœlo, id est de apice pontificali, condescendentē sanctis Francisco & Dominico: Habentē clauem abyssi, id est potestate approbandi dictos ordines, ad reprimendam potestatē diaboli. Et catenam magnā, id est, fratru utriusq; ordinis multiplicitatē. Et apprehendit draconē: quia per eorū uitā & doctrinā potestas dæmonis est represa, & reprimēta usq; ad antichristi tempora, &c. Quis autem obsecro, qui sacros libros uel à limite salutauit, est ita obtusi animi, ut non cernat eiusmodi expositionibus diuinam scripturam neq; clariorem, neq; certiorem, neq; absolutiore redit. Nam contrā uerbum Dei sua natura plenum, simplex, clarum, perspicuum, istis fruolis & cōmentitijs glossulis hominum obscuratur, nec magis illustratur, quām ebū candescit asper so atramento. & quod suapte natura est stabile, firmū, & immotū, istis contortis expositionib. adducitur in suspicionem fluxæ fidei: ceu liceat quid.

quidlibet ex quolibet loco fingere, & uerba di-  
uina ducere in quamlibet formam, ueluti cereū  
nasum. Præterea uerbum Dei, quod ad ædifi-  
cationem totius ecclesiæ propositū est, nec quic-  
quam prætermittit, quod ad rationē perfectissi-  
mā benè beateç uiuendi pertinet, callidis eius-  
modi sutelis contrahitur ad libidines, & quæ-  
stum, & ambitionē, atq; potentia paucorū ho-  
minū, qui sibi iurisdictionē nō modo in fortu-  
nas et corpora Christianorū, sed etiā in animas,  
in diuinā scripturā, in religionē, in uerbū Dei su-  
mū. Proinde qui calumnianī doctrinā uerbi di-  
uini, quæ in sacris literis cōtinetur, incertā esse et  
obscurā, nec satis instructā, ut uitā Christianam  
ab omni parte formet, et rectissimē instituat: do-  
ctrinas aut̄ hominū, quas ecclesiæ nomine & ti-  
tulo ornat̄, clariores esse dicūt, & certiores, et ab  
solutiones: ijs aptissimē quadrat, qđ Esaias de *Esaie 59.*  
hypocritis pronunciauit: Labia uestra locuta  
sunt mendaciū, & lingua uestra iniquitatem fa-  
tur. Non est qui inuocet iustitiā, neq; est qui iu-  
dicet uerē: sed cōfidunt in nihili, & loquunt̄ ua-  
nitates. Concepérūt labore, et pepererūt iniqui-  
tatiē. Oua aspidū ruperūt, & telas araneę texue-  
rūt. Qui comedērit de ouis eorū, moriet̄: & qđ  
confotū est, erumpet in regulū. Tela eorū non  
erunt in uestimentū, neq; operient̄ operib. suis.  
Et ut quod sentio dicam citra dissimulationem,  
existi-

existimo in hanc persuasionem iuxta uanissimam  
& perniciosissimam, & refertam insigni calum-  
nia in uerbum Dei, & contumelia extrema diui-  
næ maiestatis, quod humanæ traditiones de co-  
lendo Deo, & piè sancteꝝ ac beatè uiuendo cla-  
riores & certiores & absoluiores sint quam di-  
uina scriptura, & nō potius Dei uerbum sacro-  
sanctum sit rectissima norma sapientiæ ueræ, &  
consiliorum & actionum omnium: in eam exi-  
stimo persuasionem conspirasse omnes cacodæ-  
mones, quotquot degunt in aere, aut in aquis,  
aut in terra. utꝝ Hesiodus poëta narrat, omnes  
deos uim suam cōtulisse in puellam Pandoram,  
quæ pixide effusa omne genus malorum immi-  
serit hominibus, una spe relicta in pixide: ita sa-  
tan et omnes mali angeli ipsius congesserunt in  
hanc persuasionē, dolos, uersutiam, artes pessi-  
mas, totam malevolentiam suam, omnem deni-  
que uim satanicam, quæ uniuersa mala in eccl-  
esiā effudit: quorū finis non erit, nisi in cōsum-  
matione seculi. Ac reuera ouum est draconis se-  
ptēcūtis, magni, & ruffi, qui homicida & pa-  
rens mendaciorū existit ab initio creaturæ uni-  
uersæ: ex quo basiliscum edidit, regem locusta-  
rum, angelum abyssi, qui Ebraicè abadon dici-  
tur, Græcè ἀπολύτη, Latine pernicies, & Lerna  
omnium malorum. Ex eiusdem quoꝝ oui albu-  
mine & uitello educauit, atꝝ ad ætatem adultā  
pro-

produxit omnemq; inde uictum & alimoniam  
subministrat antichristo & pseudochristo , in q  
sele totum absolutissimè draco antiquus expres-  
sis, ut in eo inhabitet omnis plenitudo uerlutiæ  
& malitiæ & ingenij satanici corporaliter. De  
quo ad Thessalonicenses scribēs apostolus prē  
dixit: Nisi uenerit discessio primum, et reuelatus  
fuerit homo peccati, filius perditionis , qui ad-  
uersatur, et extollitur supra omne quod dicitur  
Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei se-  
deat, ostendens se tanquam sit Deus, & reliqua.  
De quo & Daniel uaticinatus est, quod se Deo  
æquaturus esset, adeoq; supra Deum & Dei le-  
ges & instituta exaltaturus. sic enim loquit: Et Dan. 7.  
sermones contra excelsum loquetur, & sanctos  
altissimi conteret, & putabitquod possit muta-  
re tempora & leges , & tradentur in manu eius  
usq; ad tempus & tempora & dimidium tempo-  
ris: & iudicium sedebit, ut auferatur potentia, et  
conterat & dispereat usq; in finem. Ac rursus: Dan. 11.  
Et faciet iuxta uoluntatem suam rex, & eleuabit  
& magnificabit aduersus omnem Deum, et ad-  
uersus Deum deorum loquetur magnifica , & di-  
rigetur, donec compleatur iracūdia. Perpetrata  
quippe est definitio: & Deum patrum suorum  
non reputabit, & erit in concupiscentijs fœmi-  
narum, nec quenquam deorum curabit, quia  
aduersum uniuersa consurget, Deum aut Mao-

zim in loco suo uenerabitur, & Deum quem  
ignorauerunt patres eius colet auro & argento,  
& lapide precioso, rebusq; preciosis. & paulo-  
post: Et fit gettabernaculum suum aphedano in-  
ter duo maria, super montem inclytum & san-  
ctum, & ueniet usq; ad summite tem eius, & ne-  
mo auxiliabitur ei.

**D E M O N S T R A T I O P R A E**  
*dictorum ex diuinissima reuelatione Do-*  
*mini Iesu Christi.*

**V**erum ut exemplo demonstremus, diuinā  
scripturā ex seū et ex Deo, qui eam inspira-  
uit sanctissimis hominib. habere summā fidēm  
& autoritatē apud pios & sapientes homines,  
adeoq; apud ecclesiā uniuersam Christi, nihilq;  
uerbo Dei certius esse, nihil magis perspicuū &  
apertius, nihil absolutius ad uitæ institutionē:  
Agite principes & ciues uniuersi reip. Christianæ,  
expēdamus breuiter ultimū scriptū codicis  
diuini, qd Dominus & Deus noster Iesus Chri-  
stus post 64. annū ascensionis in cœlos ministe-  
rio angelorū suorum per Ioannē euangelistam  
& dilectum discipulū, ecclesiæ suæ exhibuit. In  
quo exemplo etiam luculentissimè perspicietur  
multiplex & necessarius usus uerbi diuini, tan-  
quam in compendio theologiae Christianæ,  
quodq; à solo uerbo Dei petenda nobis sit aesti-  
matio.

matio uera status præsentis in ecclesia, & futuri  
temporis cognitio, absolutissimaqe reipub. et to  
tius uitæ Christianæ moderatio. Ac primum,  
qui nam homines conciliarunt huic scripto di  
uino supremam fidem atqe autoritatem: Etsi e  
nim plurima extensum testimonia pulcherrima ex  
cellentium virorum de hoc libro, qui ei locum  
& quidem non postremū concedunt inter au  
thenticas scripturas: sunt tamen plurimi reperti  
omnibus æstatibus usqe ad nostra tempora, qui  
diuersum iudicarunt. Nam Dionysius Alexan  
drinus episcopus, & nobilissimus inter patres,  
ut Eusebius ait, quod anno 250. à natali domini, Phi  
lippo tenente imperium Romanū, qui primus  
religioni Christianæ non aduersari uisus est, epi  
scopatum accepit, cum nepote Chiliasta disce  
ptans, dubitat an Apocalypsis scripta sit à Ioani  
ne apostolo, an ab alio quopiam. Et refert, nō  
nullos præcessorum, librum hunc à canone scri  
pturarum abſciendum esse iudicasse, ac ne ab  
ecclesiastico quidem viro scriptū. A morte au  
tem Ioannis apostoli usqe ad annum Philippi im  
peratoris tertium, quo episcopatū accepit Dio  
nysius, non plures quam 150. anni intercedunt.  
Temporibus etiam diu Hieronymi, qui circa  
cccc. annum salutis floruit, Græcorum eccl  
esiæ librum hunc non receperunt pro canonico.  
Et quid hodie aliqui viri doctri iudicet, quid me

adtinet commemorare: Sed esto, ut respuant illum theologi celebres omnes, damnent etiam synodi aliquot: an propterea statim neganda est illi fides, & omnis autoritas detrahēda: Rur sumq; ponamus, approbatum esse ab omnibus concilij & eruditis viris. an uero propterea fidem huic scripto adhibentes, autoritatem diuinam in eo sequimur: Hominum certe iudicium sequimur, et autoritate humana ducimur, non divina, quamdiu non intrepidè assentimur scripto propter seipsum, & propter Dei maiestatem, quæ agnoscimus et sentimus loqui in eo scripto. Quemadmodum nonnulli homines, qui domū suam non ædificauerunt super firmam petram, si quis ab eis postulet rationem suæ fidei, solent respondere, se non aliter credere, quam credit rex aut princeps ipsorum. Quid igitur statuemus de reuelatione Iesu Christi, quæ inscribit etiā Apocalypsis Ioannis? Primū sicut præcipit sanctus

<sup>v. Thess. 5.</sup> spiritus per apostolum Paulum, spiritū non extinguemus, & prophetias non spernemus: omniaq; probabimus, ut quod bonum est teneamus, ab omni specie mala abstinentes. Non preteribimus etiam regulam, quā diuinus spiritus

<sup>v. Ioan. 4.</sup> per Ioannem apostolum prescrivit: Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophe tae exierūt in mundū. In hoc cognoscit spiritus Dei.

Dei. Omnis spiritus qui cōsūtetur Iesum Christū in carne uenisse, ex Deo est. Figemus igitur ob oculos scopū uniuersæ scripture Christum, quem Paulus ostendit, & ipse Dominus, quum ait: Scrutamini scripturas, nam illæ mihi testimonium reddunt. Non excidat animo etiam, quod uniuersalex & prophetæ una sentētia cōprehenduntur: Diliges Dominū Deum tuum Matth. 22. ex toto cordetuo, & in tota anima tua, & in tota Deut. 6. mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. Et ut rem explicatam penitus int̄rospiciamus, expēdantur omnes partes apocalypses, an sp̄rent gloriam Christi & Dei patris, ad hæc ædificationem ecclesiat tum in uera fide, tum in sanctis morib⁹ & fructibus fidei per charitatem operantis. Præterea æstimabimus, ut congruāt cum 10. capitibus decalogi, & 12. articulis fidei. Nam in his tota scriptura sancta continet. Utq; proferamus tam uetera & noua, inspicere conuenit legem, qua Hieremias iudicari petit suā causam contra inimicum suum Hananiām pseudo prophetā, quam diuinus propheta Hieremias Deu. 13. 18. ex Mosis desumptis Deuteronomio. Sic enim Hierec. 28. ait: Veruntamen audi uerbum hoc, quod ego loquor in aurib⁹ tuis, & in aurib⁹ uniuersi populi. Prophetæ qui fuerunt ante me, & ante te ab initio, & prophetauerūt super terras multas, & super regna magna de prælio & afflictio-

ne, & de fame : propheta qui uaticinatus est pacem, cum uenerit uerbū eius, tunc scietur propheta, quem misit Dominus in ueritate . Ad hæc exploretur, num insit huic scripto nativa energia uerbi diuini, quam Paulus explicat Timotheo scribens : Quod omnis scriptura diuinatus inspiratata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus . Pari quoque sagacitate peruestigemus, an stylus & phrasis referat spiritū sanctum loquentem in omnibus alijs prophetis & apostolis, an eadē simplicitas cōspiciatur, rectitudo, perspicuitas, grauitas & uigor, & peitho atque suadela, bonas mētes mirifice permouens . In primis aut̄, an elocutio cōgruat reliquis scriptis Ioannis, quandoquidē hoc scriptū à loāne, qui testimonium Iesu Christo reddidit, editū esse, titulus uerus pollicet : & quatenus referat Christum in euāgelica historia loquentē, nunc uero loquentem per angelum suum cum summo imperio . Quisquis igit̄ diligenti lectione animaduerterit, aut acceperit alio demonstrāte, hunc librum assere, ut qui maximē, quod Iesus Nazarenus sit Christus, & filius Dei incarnatus, & unicus Seruator totius mundi: docere etiam fidem, & charitatē, & uerē bona opera: cōgruere quoque cum decalogo, cū 12. cap. fidei catholicæ, cum

cum genuina sententia charitatis in Deum & proximum, nullaque in reuelatione sacris scripturis uel a seipso disrepare: & hactenus per M C C C C. annos facta esse, quae hic praedicta sunt: præterea uim & stimulos natueros uerbi diuini, quibus ad pietatem homines excitentur, stylumque auctoribus quos præfert conuenientem, perspici: denique nihil deesse, quod summam fidem testimonio & scripto cuiquam conciliare possit: Is profecto reprehendere hoc testimonium Iesu Christi salua religione minimè poterit. Vt enim ignorantia excusat hominem de contemptu uerbi diuini, & peccato in spiritum sanctum, qui reformidat titulum diuinæ scripturæ librum aliquem recipere, quem talem esse nondum cognouit: ita qui pertinaciter reluctatur, quoniam nullo idoneo argumento scriptum sacrum a canone possit remouere, non effugiet quin adiungatur impijs factiōnibus, Cerdonis, Marcionis, Alogianorum, & si qui alij diuinam revelationem Iesu Christi, & alias scripturas diuinās contempserunt. Ceterum qui ex rebus quae in Apocalypsi continentur, didicīt esse doctrinam Iesu Christi, non ideo credit uera esse aut falsa, de quibus ita pronūciat diuinū hoc scriptū, quia illud homines approbarint: sed quia testimonio diuino ita pronūciatum est, a quo discedere nefas sit, etiāsi totus mundus incredulorum reclamat. Quod autem precipitat diuina

diuina reuelatio, id intelligit uir pius sibi exequendum esse: contraq; modis omnibus fugiendum, quod uetat: non quia hominibus ita placet, sed quia Christus Dominus & Deus noster ita præcipit: cui parere oporteat, etiam si potentes in hoc seculo diuersum iubeat, intentatis supplicij aduersum eos qui edictis & legibus ipso-rum non parent. Itaq; apud pios diuina reuelatio autoritatem omnem ex se se et ex Deo habet, non autem ex hominibus. Qui uero ei credunt propter definitiones & iudicia mortaliū, eiq; obtemperat propter iussa & imperia hominū, humana ducuntur autoritate, & non diuina: qui etiam mercedem expectant ab hominibus. Iam uero procul amotis conciliorum determinationibus, habemus argumēta euidentissima, Ioannem euangelistā, & apostolum, & summū theologum scripsisse hunc diuinum librum. Ex Irenæo enim, & Tertulliano, & alijs uetustissimis scriptoribus ecclesiæ, cognouimus scriptū esse temporibus apostolorum, & à Ioanne apostolo scriptum esse. Id etiam testatur ipse liber, qui præfert scriptorem Ioannem seruum Christi, qui testimonium perhibuit uerbo Dei, & Iesu Christo, qui propter testimonium Iesu in Patmo insula exulauit. Quem autem Ioānem ex omni historia proferemus, cui hæc omnia competant, quam Ioannem euangelistā, qui testimoniū

nium reddit uerbo Domini, dices: In principio erat uerbū, et in prima epistola; Quod uidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ palpaue runt, uerbū uitæ, id annunciamus. Et Iesu Christo testimoniu reddit, tum in tota historia euangelica, tum præcipue in eo loco, quo tam constanter asserit aquam & sanguinē profluxisse de latere Domini Iesu. De quo aut̄ Ioanne testatū est, quod relegatus fuerit propter euangeliū in Patmon insulam, quām de apostolo, quem Dominicianus relegauit. Phrasis etiam arguit Hebreum scriptorē Grēcē loquentem, & Ioannis adeò dictionē, qua utitur in euangelio & in epistolis. Nec potest cogitari magis idoneus minister, quo Christus uteretur ad publicationē huius diuini scripti, quām Ioannes discipulus Domini dilectus, & cognatus Messiae, qui nō uissima in coena recubuit in pectore Domini, cui proditorem indicauit. de quo Ioanne dixit Dominus ad Petru: Si eū uolo sic manere, donec ueniam, quid ad te? qui Christo sacrīs operanti adstitit ad aram crucis, cui mater Domini cōmendata fuit, qui uitā integrimā duxit, qui episcopatū gessit in celeberrima urbe gentiū Epheso. Porro illos qui numerum nominis beatæ corrūpere ausi sunt, et scribere χισ̄ pro χεσ̄, Irenaeus episcopus Lugdunensis refellit ut falsarios diuinæ scripturæ, nō per sententiā alicuius

Q concilij

conciliū definitiuam, sed ex iudicio fratrū, qui apostolū Ioannē uiderunt & audiuerūt. Vīdit aut̄ Irenaeus Polycarpū discipulū Ioannis, quo rū uterq; martyrio coronatus est. Præterea breuiculā inscriptionē huius libri appositiā esse, studiosi deprehendunt ex uero titulo, & initijs librorum propheticorum, qui nō duos titulos coniungunt, & ex collatione exemplarū, cītra definitiones synodorū. Et hæc quidē hacē nus de autoritate huius libri à nobis dicta sufficerint. Sequitur igitur, ut de claritate dicamus.

Vbi dissimulandum nō est, quædam in hoc scripto uisa fuisse obscura etiam doctiss. pariter & sanctissimis interpretib. scripturarum, quiq; uicini fuerunt temporibus apostoli, & legerunt cōmētarios Papie episcopi Hierapolitani, discipuli Ioannis, in diuinā reuelationē. Que quidē obscura loca potissimē antichristum attingunt, quem oportuit reuelari suo in tempore. Nā in alijs magnā claritatem senserunt. quod uno et altero testimonio platum faciā. Augustinus enim lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 17. postq; tractauit locum ex cap. 21. Apocalypseos de noua Hierusalem, subdit: Nunc uero nō quilibet infirmus ciuius illius ciuitatis, sed idem ipse Ioannes in epistola sua clamat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Et in hoc quidem libro, cuius nomen

nomen est Apocalypsis, obscurè multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant: & pauca in eo sunt, ex quorum manifestatione indagentur cætera cum labore, maxime quia sic eadem multis modis repetit, ut alia atq; alia dicere uidear, cum aliter atque aliter hæc ipsa dicere inuestigatur. Verū in his uerbis, ubi ait: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors iam non erit, neq; luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, tanta luce dicta sunt de seculo futuro & immortalitate atq; æternitate sanctorum (tunc enim solum, atq; ibi solum ista nō erunt) ut nulla debeamus in literis sacrīs quærere uel legere manifesta, si hæc putauerimus obscura. Idem Augustinus censuit librū Apocalypseos idoneum, quem interpretaretur populo, ut fragmenta sermonum eius satis testantur. Quod etiam ab Andræa episcopo Cæsariensi factum est, ut alios silentio prætereā. Cæterum Epiphanius episcopus lōge doctissimus, qui circa tempora Cōstantini floruit, librum Apocalypseos uocat ἀπόρυφη, non ut euangelium Nicodemi, & itinerarium Petri, aliaq; multa eiusdem notæ & farinæ scripta uocantur apocrypha: sed astrus uocat, qd recondita mysteria cōtineat. Sed idem quantam lucem & claritatem & certitudinem tribuit huic libro, disputans contra ὥλογος, id est ratione destitutos, & uerbi diuini

Q 2 negatores,

negatores, qui simul euangelium Ioannis & Apocalypsim reiecerunt: Dicunt, inquit, contra Apocalypsim hęc nugātes: Quid mihi prodest Apocalypsis Ioānis, quae dicit mihi de angelis, & septē tubis: Et nesciunt, qui talia dicūt, quod necessaria & utilia huiusmodi sunt in prædicationis rectitudine. Nam quæ in lege ac propheticis obscurius, & in ænigmate dicta fuerunt, ea Dominus dispēsauit, ut per spiritum sanctū ad nostram salutē seruo ipsius Ioanni reuelarētur. Et quæ illic obscura fuerunt, hic in spiritualia et manifesta prædicans spiritualiter nobis eadem dispensauit. Et ex pellibus quidē tunc tabernaculū construxit rubiæ & hyacinthi colore infelix, ut ostenderet tabernaculū illic quidē tabernaculū esse, uerum perfectissimum tabernaculum Christi representare. Pellis enim à corpore fit, que mortua est uelut umbra corporis uiuentis, ut ostenderet corpora esse tabernaculum Dei. Quandoquidē enim in sanctis corporib. habitat Deus, ut impleatur dictū illud: Habitabo in ipsis, & obambulabo: error quidā futurus fuisset in credentib. nisi nobis liber spiritualiter reuelatus fuisset. ut disceremus nō tubis opus esse, sed sciremus totū negotiū spirituale esse: neq; iuxta Iudaicas fabulas accipiamus æreas uel argentes tubas, sed spiritualiter intelligamus, quod à celo sit ecclesiæ prædicatio. Quēadmodū etiā alibi

alibi dicitur: In illa die buccinabūt tuba magna.  
Prophetæ nāq̄ tubæ erant: tuba uero magna,  
sancta uox Domini in euangelio. Quapropter  
& angelis datū est, nobis reuelare. Tuba enim  
canet, inquit, & mortui resurgent. Si uero irri-  
tentur à uobis, ô uiri boni, angelorū tubæ, quia  
scriptæ sunt in Apocalypsi: ridebitur etiā tuba,  
de qua refert sanctus Apostolus: Descendet de  
coelo in extrema tuba, & mortui resurgēt in ex-  
tremo die in uoce archangeli. Quū igitur Apo-  
stolus cōcordet cū sancto apostolo Ioanne in  
Apocalypsi, quē nam contradic̄tio reliqua fiet?  
Quomodo nō statim error omnis redarguet,  
quū Deus in unoquoq; sancto dederit testimo-  
niū? Sed optimū fuerit, totū librū strictim per-  
currere, ut appareat euidentius claritas uerbi di-  
uini eo etiam in libro, qui omniū iudicio uide-  
tur obscurissimus: præsertim quum res uniuersae,  
quæ in eo continentur, argumento proposi-  
to in primis conducant. Habet autem liber pri-  
ma partitione quatuor partes, quarū tertia rur-  
sum quadripartita est, ut in summa septem par-  
tibus absoluatur. Primū enim titulum habet Cap. i.  
coniunctum cum toto corpore scripti, more ue-  
tusto; in quo libri huius argumentū indicatur,  
quod sit prophetia & theologia, eaq; definitio-  
ne explicatur, quod sit reuelatio Iesu Christi, &  
reliqua. Estenim theologia, ueritas & doctrina

Q 3 à Deo

à Deo patre reuelata per uerbum suum eternū,  
pertinēs ad cultores Dei, de his quæ oportet fie-  
ri cito, id est dū hoc breuissimū curriculū tēpo-  
ris durat usq; ad cōsummationem seculi. Indica-  
tur & modus, quod Christus misso angelo suo  
hęc typis & sacris quibusdā imaginib. quas etiā  
sensus caperent, informarit, atq; representando  
expresserit. Indicatur & scriptor libri Ioannes,  
qui testimonium perhibuit, utiq; scriptor euau-  
gelij & epistolarum canonitarum trium. Finis  
quoq; multo præstatiſſimus proponitur, quod  
beati reddantur, qui legunt, audiunt & seruant  
hīc scripta, nimirum qui his intellectis fidem at-  
tribuunt, & pro gratia diuinitus concessa exe-  
quuntur. Et quid posset maius aut melius prō-  
mitti studiosis theologie Christianæ, q; beatifi-  
tudo uera & felicitas? Secunda pars exordium  
est apostolicum, quod ecclesijs imprecatur gra-  
tiam & pacem à Deo patre & spiritu sancto, &  
à Christo principe atq; Seruatore. Nihil autem  
est magis necessarium in percipienda theolo-  
gia, quam Dei gratia, & pax bone conscientiae.  
Additur etiam obtestatio per iudicium diuinū,  
quæ homines ad studium ueræ sapientiæ & cul-  
turam pietatis ualidissimè excitat. Quare exor-  
dium hoc appositum est ad benevolentiam, do-  
cilitatem, & attentionem excitandam. Tertia  
pars habet expolitionē rerū theologiarū, quæ  
incipit

incipit ab illis uerbis, Ego Ioannes frater uester,  
& protenditur usq; ad capit is 22. medium, ubi  
scriptum est: Et dixit mihi, hæc uerba fidelissima  
sunt. Hæc enim cum sequentibus usq; ad finem  
libri, ad conclusionem totius operis pertinent:  
quæ est quarta pars. Porrò expositionis prima Cap. 1. 2. 3.  
pars usque ad caput quartum extenditur. In  
qua Ioannes sese declarat scriptorem esse libri,  
ne pñ de fide ipsius dubitent. Simulq; locum  
indicat, insulam Patmon, quæ una Sporadum  
est in mari Aegeo, obiecta Ioniæ, in qua Ephe-  
sus, ubi hæc reuelata sunt. Tempus etiam, nem  
pe dominicus dies indicatur: siue is est intelli-  
gendas, quo anniuersaria memoria dominicæ  
resurrectionis peragit, siue alius. Fuit autem  
annus Domitiani decimusquintus, quando  
Ioannes in Patmon deportatus est, ab euersis  
Hierosolymis uigesimusquintus, ab ascensione  
Domini sexagesimusquartus, à natali uero Do-  
minico nonagesimusseptimus. Ostendit etiam,  
quomodo affectus fuerit Ioannes, quum hæc  
ei reuelarentur, utique spiritualibus contem-  
plationibus intentus. Postremo, quomodo  
hæc reuelata sint per angelum mystagogum,  
qui personam Christi gessit, & quantum ad  
hoc maxime diuinum opus adtinet, Christi ui-  
carium'egit. Principio quidem scriptum hoc ad  
septem ecclesias Asiae minoris transmissum est,

in quibus uniuersitas ecclesiarū representatur,  
quæ coniunctæ totam ecclesiam absoluunt. Ex  
illis autem ecclesijs propagatum & sparsum est  
hoc scriptum per ecclesias totius orbis. Ad om-  
nes enim pertinet ecclesias, & ad fideles homi-  
nes usq; ad consummationem seculi. Cæterum  
per simulachrum septem candelabrorū, & uer-  
santis uiri inter candelabra, qui dextra manu te-  
net septē stellas, figuratur Christus uerus Deus  
& uerus homo, summusq; & max. & æternus,  
& catholicus tum rex, tum pontifex, tum iudex  
ecclesiæ & totius mundi: utq; tam regnū quam  
sacerdotium in cœlo & in terra gubernet. Qui  
quidem inter omnia candelabra obambulat, &  
nulli affixus est. Omnibus enim ecclesijs æqua-  
lem se præbet, nec potest sibi una ecclesia pri-  
matum arripere in omnes ecclesias. Quod Do-  
minus etiam in eo præuenire uoluit, quod neq;  
Hierosolymitana, neq; Constantinopolitana,  
neq; Romana ecclesia nominatim inter septem  
has ponitur, quibus nō nulli primatū uendicare  
frustra conati sunt. Et ecclesiæ quidem per can-  
delabra figurantur, in quibus nisi lux uerbī di-  
uini fixa & proposita lucem diffundat, nomen  
ecclesiæ Christianæ haudquam merentur.  
Cæterum ministros ecclesiarum omnium, qui  
significantur per stellas, et angeli uocātur, Chri-  
stus princeps pastorum & summus pontifex te-  
net

net manu sua. Ipse enim dat alios pastores, alios euangelistas, aut quæcumq; functiones reliquæ sunt: eosdemq; aufert, & tuetur eosdem, & pro suo arbitratu ministeria dispensat. Ei uero si mulachro subijciuntur septem epistolæ protrepticæ, quæ typum Christi & ecclesiæ illustrant. In quibus ostendit Christus, quid placeat, aut displiceat: & hortatur, ut quæ deprauata sunt, corrigant: & quæ integra dum sunt, conseruēt: accommodatis ad hoc scripturis utriusq; testamenti, & exemplis recentibus, quale est exemplum Antipæ. In quo Christus testat, se omnia quæ in ecclesia gerunt, curare & iudicare, aliaq; probare, alia improbare: & recte factis præmia conferre, prauè autem factis supplicia irrogare. Simul præbet exemplum interpretandi scripturas sanctas, & accōmodandi præsentibus personis, locis, temporib; et negotijs. Loquitur aut Christus Dominus cum imperio, Hæc dicit Christus. quod per antonomasiā figurat, Hæc dicit, qui tener septem stellas in manu sua & cætera: ut agnoscamus eum in ecclesia imperium tenere, qui per prophetas locutus est, Hæc dicit Dominus, Hoc est uerbū Domini. Secunda pars expositionis octo capitibus compræhen ditur, quæ rationem prouidentiæ diuinæ expli cat, qui nam homines ingrediantur in uitâ æternam, aut qui damnentur, & quibus de causis.

R Adeoq;

Cap. 4. 5.

Adeoq; causæ omnium pariter honorū & maiorum indicatur, quæ accidunt singulis hominibus, uel Reipub. uni, uel uniuersis rebus publicis, aut ecclesijs. Et capite quidē quarto et quinto paradigma proponitur diuinæ maiestatis omnia sapientissimè gubernantis, patris omnipotentis, & agni, hoc est filij Dei incarnati & passi, quiq; resurrexit, & ascendit in thronum patris, parem cum eo gloriam sortitus: & spiritus sancti, qui ab utroq; procedit. Vbi liber fatorū & diuinæ prædestinationis, in quo scribuntur qui ad uitam æternam & regnum Dei pertineat, aut qui perituri sint, Christo traditur: qui totum negotium salutis omnibus seculis peregit, & collegit filios Dei, ut quicunque se se men benedictum seruari crediderint, beentur, qui uero non crediderint, pereant, & ira Dei maneat super eos in æternum. Itaq; uniuersum tempus ab origine mundi usque ad seculi summationem per septem sigillorum apertio nem, & per septem tubas distribuitur. Est enim septenarius numerus sacer, & numerus plenitudinis. Et licet nostri scriptores diuiserint etiā durationem mundi per septem ætates, in partibus tamen definiendis alicubi dissident. Vnde nemo uitio mihi uertat, si ab eis paululum discessero, non sine probabili ratione. Prius igitur sigilla, deinde tubas percurramus. Primū enim sigillum

sigillum aperuit uerbum Dei, & Christus incarnatus, colligens filios Dei ab origine mundi usque ad diluvium. Quod seculum innocentius est, quam in sequentia: ut mundus subinde in deterrimus prolabitur, ideoque per equum album figuratur. Et uerbum Dei uincens ubique aetu pugnat eminus: eo quod multum temporis restabat usque ad nouissima tempora, in quibus Christus natus perfecit negotium salutis. Secundum sigillum accordatum est seculo secundo, à diluvio usque ad Mosen. In quo deteriores sunt homines prioribus, meliores tamen in sequentibus. eaque de causa representatur equo rufo. Tertium sigillum pertinet ad aetatem extantem à Mose ad Christum Domini: quando per legem diuinam scripto comprehensam cuncta reuocata sunt ad statueram exactissimam diuinum iudicij. Quapropter additum est praceptum, ne quis corrumpat frumentum, uinum, et oleum, hoc est legem, in qua uita alimentum proponit. Quartum sigillum comprehendit incarnationem Messie, & tempus euangelicae predicationis, idque per magnas afflictiones ecclesiæ, usque ad Constantinum, qui pacem temporariam ecclesiæ concessit. Quo tempore Christus unica uita priorum incredulis mors presentissima est: sicut et petra est, in qua multi offendunt, alii autem resurgunt. Vnde in euangelio Dominus ait: Hoc iudicium est, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, et rursum: Si non uenisset, et locutus fuisset eis, non haberent peccatum.

Iohann. 3.

Iohann. 15.

R 2 Nunc

nunc autem excusationem non habent de pe-  
cato. Quintum sigillum congruit seculo curren-  
ti ab imperio Constantini & pontificatu Sylue-  
stri, usq; ad antichristum adulterum & præpoten-  
tem, ac formidabilem iam regibus, nimirū tri-  
bus iam deletis ex decē regibus, in quos diuisa

Dan. 7. fuit monarchia Romana : sicut uaticinatus est  
Daniel. Quum uero Pontifex Rom. sub falso ti-  
tulo Christi & ecclesiæ Græcorum potentiam  
in Italia fregerit per Longobardos, Longobar-  
dorū autem regnū sustulerit per Francos, Fran-  
corum aut regnum à Merouingis iustis domi-  
nis ad Pipinum maiorem domus, & sacramen-  
tis obedientiæ Hilderico obstrictum transtule-  
rit, terminus quinti sigilli figendus esse uidetur  
in regno Pipini, & pontificatu Pauli primi Ro-  
mani ciuiis. De quo quidē seculo conquesti sunt  
pīj iam statim temporibus Constantini, quem  
admodum testimonio Lactantij comprobaui-  
mus. Sextū sigillum extenditur à regno Pipini,  
usq; ad reuelationem antichristi, & ruinam Ba-  
bylonis : quo grauissima pugna bestiæ contra  
duos testes Iesu, nimirū contra scripturā sacra-  
ueteris nouicq; instrumenti, in cōcilio Constan-  
tienſi, quo schisma trium paparū sublatum est,  
& fideles testes ueritatis Ioan. Hussius & Hiero-  
nymus Pragensis exusti sunt, concludit. quando  
imperator Sigismundus, & omnium ordinum  
principes

principes tyrannide Romani pontificatus usq;  
ad eò fuerunt oppressi, ut fidem datam uiris opti-  
mis, & omnib. proceribus regni Bohemici, ser-  
uare non potuerint in urbe clarissima imperij  
Germanici. At quo*jure*, qua*ue lege*? Nempe,  
quia hæretico non est præstanta fides. Interea  
temporis, quod cucurrit à regno Pipini, pro sua  
libidine grassatus est antichristus pseudopro-  
pheta maximus, Christiç seruatoris noticia ob-  
scurata, & extincta doctrina iustificationis per  
fidem, ingētes terrores iniecti sunt hominū con-  
scientijs, ut confugeret ad merita & patrocinia  
sanctorum, nihilq; non tentarent, si quo pacto  
effugere possent iudicium irati Dei. Cui sigil cap. 7.  
lo adiçitur expositio plenissima consolationis,  
ut sub tyrannide sœuissima debacchantis anti-  
christi, electi plurimi ex Iudeis & omnib. alijs  
populis atq; nationibus seruati sint, non utique  
per sua opera, sed per immēsam clementiā Dei,  
sed per fidem & meritum Iesu Christi. In cuius  
sanguine ablutionē peccatorum sortiti sunt, re-  
nunciantes suæ propriæ iustitig, & omnibus fu-  
catæ religionis operibus. Sexto igitur sigillo cap. 8.  
succedit septimum, quod fine mundi & nouis-  
simo iudicio cōcludetur. Iam repetito principio  
mundi, secula distribuuntur per septem tubas,  
quæ respondent planè septem sigillis. Docent  
autem, ut omnib. seculis & ætatibus præconio

R 3 uerbi

uerbi diuini, quibuscumque potuit modis satan se se  
opposuerit, & pater mendacij oppugnarit filium  
Dei, & ipsius populum: semperque repererit homi  
nes peruersos, quod derelicto uerbo uitae transierunt  
in partes diaboli, & proprium ipsorum interitum. Ex  
quod fonte uniuersa mala profluxerunt in mundum.  
Donec etiam satan effecit, ut in ecclesiâ suis præsti  
gij factitium Christum intruderet: qui mentiendo  
se ueri Christi partes obire, hostem nocentissimum  
populi Dei ageret. Cæterum enumerationi tuba  
rum præmittitur admonitio, per uerbi diuini me  
rita et intercessionem omnibus, seculis electos serua  
tos esse ab insidijs & technis diaboli. Prima er  
go tuba respôdet primo seculo ante diluvium. Et  
initio quidem, cum uerbo diuino Adâ & Eua insti  
tuti essent, satâ persuasit, ut factitiam religionem,  
& humana uoluntate confiatâ sequerentur, conan  
tes suis uiribus in diuinâ sorte progredi. Quæ qui  
dem ex igne, id est flagrâtissimo desiderio boni,  
& grandine, id est sapientia fucata, et sanguine af  
fectuum humanorum permixta esse animaduertit.  
qua mox Cain ad parricidiū est impulsus, et ge  
nus humanum diuisum in duas, ut ita dicam, sectas,  
priorum & Caimitarum: inter quos perpetuum fuit  
dissidiū, donec aboleuit totum genus humanum  
aquarum inundatio, tantum hominibus octo serua  
tis in arca. Secunda tuba cōpetit sequenti seculo  
usque ad Mosen, Noe enim uir maximus, ebrieta  
te sua

te sua occasione præbuit impi Cham irridēdi patrē: unde in maledictionē incidit, ut seruitus introduceretur. & Nimrod nepos Chamis primus tyrannidē occupauit, qua etiā grassatus est in animos, & cōscientiam, & religionē. Quantā uero habeat uim tyrānis ad homines abducēdos à uera pietate ac uerbo dei, docet monarchia Ba bylonica et Machuimetica. Tertia tuba designat certamē diaboli cōtra uerbū Dei et ecclesiā, à tē pore Mosis ad Christum, quando clariss. stella pontifex Aarō, defecit à uerbo Dei cōflans uitulum in deserto, quē populus adorauit. Ab eo tē pore multi aliij etiā, qui populo Dei purū uerbū proponere debebāt, ausi sunt ex suis opinionib. et affectib. dispensare. Nec ulli homines inter Iudeos magis aduersati sunt uerbo Dei, & ueris prophetis, q̄ sacerdotes praui. Quarta tuba cōgruit temporib. Christi usq; ad Constantium: quādo per scribas & pharisæos & principes sacerdotū, per q̄ ludam proditorē, per hæreticos, Christi negotiū ita obscuratū est, ut neq; Christi claritas, neq; dignitas ecclesiæ, neq; sanctorū gloria satis p̄spiceret. Inde p̄clamat nūcius coelestis, tria uae iūinere incolebit. terrā: que trib. sequentib. ætatib. cōueniūt. Quinta tuba spectat ad tēpora q̄nti sigilli à Cōstātino usq; ad regnū Pipini. Stella igitur, hoc est epūs ecclesiæ Christi, q̄ cœlestiū rerū meditationi uacare debebat,

deci-

cap. 9.

decidit in terrena desideria. Qui permissu diuinio aperuit puteum abyssi, & ianuam aperuit satanæ, ut mendacijs seduceret eos qui non habent amorem ueritatis, ut salui fierent. De quo Apostolus ad Thess. scribit. unde exiuerunt sumi opinionū, & prauorum affectū. Ex quib. locustæ natae sunt, homines pestilentissimi, quis pietatis uoluptatibus & studio gloriæ atque potentiae indulgent, semperq; animo hostili feruntur in eos qui obſistunt eorū cupiditatibus qui salua conscientia de se stridere possunt illud Horatianum carmen,

(nati:

Nos numerus sumus, & fruges consummire & reliqua. qui tandem & regē habent antichristum, quem & Daniel ostendit regnū habiturū præpotens: & is quidem nō à Christo creatus, sed à satana immisſus, Ebraicē & Græcē dicitur perditus, & perdens omnes quotquot ei parēt, nec pœnitentiam agunt. Qui legunt hæc, uideant ut intelligant, & recolant memoriam rerum gestarū, an hæc nō cōpetant urbi & ecclesiæ, in qua Janus clauiger celebris fuit, postea uero pōtifex max. gemina clave preſignis. Et Syluester quidē in persecutiōe Maxentiū et Liciñiū relicta ecclesia fugit in monte Soracte: ubi uero audiuit pacē ecclesię datā à Cōstantino, reuersus est Romā, sēcū apud imperatorē optimū insinuat, cœpitq; religionē Christianā aureis et argēteis

reis uasis ueluti phaleris uulgo cōmendare, nec  
non tempa simulachris cōspurcare contra uer-  
bum Dei: quod pontificiarū rerum scriptores  
testantur. Atq; inde malaplurima inuaserunt in  
ecclesiam Christi: ut pīj & sapientes omnes cō-  
fiteantur, tūc esse uenenum sparsum in ecclesia.  
Quod autem Ro . pontifex fecit, id certatim alīj  
quoq; ecclesiarum magistri sunt æmulati. Vn-  
de genus hominū prodijt, qui spirituales dici  
& haberiuolunt, quum nemo magis studeat re-  
bus secularibus. Quam diues autem & prepo-  
tens regnū sit regis locustarum, facile intelliget  
qui uectigalia episcoporum, collegiorum, abba-  
tiarum, qui ducatus & regna æstimauerit. Atq;  
illis datū est, affligere homines per menses quin-  
que. Tot enim mensibus locustæ uiuunt. De-  
ponunt enim oua tempore autumni, quæ lati-  
tant per hyemem in terra: mense uero aprili ex-  
cluduntur foetus, & durant ad septembrem. Id  
quod rectissimè quadrat locustis depascētibus  
bona ecclesiastica. Nam tempore duro persecu-  
tionum latuerunt: appetente autem æstate tran-  
quillitatis & pacis, saltitare & stridere in pratis  
ecclesiæ ceperunt. Lædunt autem mensibus  
quinq; hoc est, per quinq; mutationes insignes  
rei. Christianæ. Sic enim Zacharias propheta  
mensis nomen usurpat ii. capite, quum ait tres  
pastores Iudaice synagoge tollendos uno men-

S se.

se. Sub Augusto enim, cui monarchia, quam  
C. Julius condidit, cōfirmata est, Herodes aliena  
regnum iudaicum adeptus est, et Roma  
ni pontificatū suo arbitratu conferre cōperūt,  
& prophetia expirauit. Etenim locustæ moue  
runt sese imperantibus Græcis in Italia, deinde  
Longobardis, postea Francis, à quibus ad Ger  
manos imperij Ro. titulus trāslatus est. Postre  
mò placuit, ut non per successionē reges crearen  
tur, sed ab electorib⁹ rex Ro. designaret. Quæ  
forma reip. durauit iam annis circiter D. et in ea  
deficient locustæ, & non cognoscet locus eorū  
ubi fuerint. Sexta tuba, confirmato iam antichri  
sto & antchristianis copijs quadrat, quas in  
fessores diaboli agitant, cōtecti loricis impoeni  
tentiae & æternæ damnationis: cum quibus ta  
mē damnabunt, qui nomine ab antchristianis

*Cap. 10.* abhorrent, faciis aut̄ congruunt. Porrò decimo

capite promittit, euāgelij doctrinā postliminio  
rediturā esse ad homines, qua reueletur & cōfir  
ciat antchristus, donec eum Christus aduentu

*Cap. 11.* glorioſo totum extirpet. Vndeциmo aut̄ capite

describitur præliū antchristi aduersos duos te  
stes Iesu, nō utiq̄ aduersus Heliam & Enoch, ut  
Augustinus etiā admonuit, sed aduersus scrip  
turam diuinā utriusq̄ testamenti. Quando tem

plū, id est, sacerdotiū iubet æstimari ad normā  
diuini uerbi; et quia nequaquam ei quadrat, rei⁹ ci  
ab

ab ecclesia catholica & apostolica. Quod factū  
esse in cōcilio Constantiensi fatebit̄, qui diligen-  
ter historiā cum hoc uaticinio cōtulerit. Nec di-  
scrpant menses quadraginta duo, quibus cōci-  
lium durauit. Tametsi nō ignoror quosdā inter-  
pretari tres annos cum dimidio, quibus anti-  
christus sequiturus sit in Christianos. Quemad-  
modū & tempus & tempora & dimidium tem-  
poris interpretantur in Danièle et Apocalypsi,  
quos nullum negotiū est refellere. Septima po-  
stremò tuba cōpetit nouiss. seculi temporibus,  
quibus antichristus uerbo Dei redarguendus  
est. In cuius fine aperietur templū & arca testa-  
menti, ut pīj omnes in rem præsentem adduciā  
uideant, quanti eis thesauri bonorū cœlestium  
& æternorum repositi sint in Christo. Quan-  
do etiam horrenda tempestas iudicij diuini op-  
primet impios, quum audient: Abite maledicti  
in ignem æternum. quod est tertium uæ.

Sequit̄ expositionis tertia pars: quę usq; ad ca Cap. 12.  
put 17. protēta narrat certamina Christi et ecclē-  
siae uere, omniūq; piorū aduersus diabolū prin-  
cipē mundi, & eius cōmissarium supremū, anti-  
christū, & uniuersas phalāges impiorū, qui eos  
sequunt̄. Quę quidē certamina uelut ob oculos  
spectāda exhiben̄: ut discāt pīj legitimē certare,  
& cōsequi coronā gloriæ immortalis. Et princi-  
piō gdē ecclesia describit̄ sub imagine matrone.

S 2 quod

quod Augustinus etiam & Græci interpretes  
uetustissimi adnotarūt. Deinde satan sub ima-  
gine draconis septemcipitis, qui caput est im-  
piorū omnibus seculis, que numero septenario  
cōpræhenduntur. Et hostis quidē Dei & eccl  
esiæ, persecutus est per Herodem filium, qui na  
tus est ecclesiæ ex uirgine Maria, donec à mor  
tuis resurgens ascendit in cœlos, & consedit in  
solio & dextera Dei. Mox persecutus est eccl  
esiæ per Iudæos, ut cogerentur discipuli disce  
dere in oppida & regiones gentilium, in quibus  
fuit solitudo propter ignorantiam ueri Dei. De  
sunt autem populus gentilis solitudo esse, sed cō  
uersa est solitudo in cultissimum agrum, sicut ua  
ticinati sunt prophetæ, presertim Esaias, ut quū  
*Esaiæ. 35.* ait: Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit soli  
tudo, et florebit quasi lilyum. Quod plenius im  
pletum cerni potuit, quando Antiochiae in ur  
be gentium, ubi quondam Antiochus hostis po  
puli Dei acerrimus regiam habuit, ecclesia syno  
dum celebrauit, legemq; Mosaicam abrogauit  
diebus M C C L X, hoc est, anno ab ascensione  
Domini tertio cum dimidio. Sed nō cōtentus  
fuit satan hactenus in Iudæa Christianos affli  
xisse per Iudæos furentes, nisi etiam in urbibus  
gentium persequerentur. ut testantur Aposto  
lorū acta, & epistola ad Smyrnensem angelum  
cap.2, Habet autem ecclesia locum, & alitur in  
ter

ter gentiles quondam, et remotos à testamentis  
Dei, usq; ad seculi cōsummationem. Quod tem-  
pus quantum futurū sit, abscondit Deus à noti-  
tia hominum. Ideoq; dicitur Ad tempus & tem-  
pora, & dimidiū temporis. Quo sermone Da-  
niel etiam cap. 7. designat tempus tyrannidis an-  
tichristianæ, quæ durabit in finē mundi: quem  
scire negatum est humano captui. Defenditur  
autem ecclesia duabus alis: partim occulto Dei  
auxilio, partim aperto. ueluti per Rom. potesta-  
tem nō permisum est Iudeis mala inferre Chri-  
stianis, quanta cupierunt: donec iratus draco-  
Neronem & imperium Rom. commouit con-  
tra ecclesiam Dei, de quo loquī caput sequens. cap. 3  
Monarchiam uero Rom. bestiam uocat Domi-  
nus, sicuti & Daniel, præsertim propter bellui-  
nos mores principū Rom. Cui satan dedit po-  
testatem suam, potestatem tenebrarū, idq; per-  
missu Dei, ut persequeretur ueritatem, & do-  
ctrinam salutis. Ei⁹ caput amputatū est in Ne-  
rone occiso. quando extincta est familia & mo-  
narchia Cæsarū, quam Iulius cōdidit: actumq;  
uidebatur de imperio propter motus in urbe,  
in oriente, in Gallia, in Germania. donec op-  
pressis illis, qui per uim arripiebant imperium.  
Fl. Vespasianus accepit monarchiam. Tuncq;  
homines iudicarūt prouidētia deorū immorta-  
lium, quos Roma coleret, seruari hoc imperiū,

S 3 ut

ut duret in æternū. Ei uero datū est agere cum populo Iudæorū, & excindere templum & urbem, & infelicem gentē, quæ respuebat pertinaciter oblatā salutem. Romani autē tribuerunt suū cessum istum suæ uirtuti & religioni, probra iacentes in Deum uerum Israēlis, & religionem Christianam, quam etiā falso dicebāt Iudaicam superstitionē. Id bellum durauit mensibus 42. Daniēl autē exactius præfiniuit cap. 12. diebus MCCCXC. Tot enim ex historia colliguntur ab eo die, quo Vespasianus copias infestas eduxit Ptolemaide, usq; ad diem octauū Augusti, quo Titus Vesp. filius suffolcis muris urbē Hierosolymam ingressus est. Inde per 30. dies intra urbem pugnatum est. Per 15. autem dies reliquiae seditionis orū extinctæ, & qui se abdiderāt in cloacas, protracti, & partim sub hasta uenditi, partim in metalla, spectacula, & triumphum distributi sunt: ut in summa, bestia ista Rom. potentiam exeruerit in Iudeos, ut tolleretur iuge sacrificium, per dies MCCCXXXV. Ad eundē modū Daniēl cap. 8. diebus MMCCC. definit bellum, quod Antiochus typum gerēs antichristi, gessit contra duces Machabæos, & populum Dei. Porro Dominus sententiā fert in Ro. imperium uetus, ut destruatur, & fiat illi sicut fecit alijs populis & nationibus: utq; mensum est omnibus gentibus, ita uicissim alijs mentiatur in periodo

perio Romano. Interim opera danda fuit p̄ijs,  
ut per patientiā possiderent animas suas. Idiudi-  
cium statim coepit post mortē Vlpij Traiani,  
deficientibus iam populis sub Ālio Adriano.  
Magis aut̄ incruduit ira Dei, quando Alaricus  
cepit Romā, eamq̄ obiecit Gothis, Vandalis,  
Hunnis, Germanis spoliandam et laniandā, ob-  
ruendamq̄ omni genere calamitatū. Anno aut̄  
circiter 140. post Ālaricū, urbem captā inflam-  
mavit, parteq̄ murorū deiecta uacuam ciuibus  
fecit ad dies aliquot, nobiliss. flagellum Dei To-  
tilas Gothus. A quo tempore pontifex Rom.  
magnā occasionem nactus, coepit apertius iam  
moliri suā monarchiā sub falsissimo titulo Chri-  
sti & apostolorū: tandem etiam sacri Romani  
imperij, et donationis Constantini. id quod no-  
biliss. ciuis Rom. Laurentius Valla, & alijs ho-  
mines eruditī solidis rationibus ostenderūt. Et  
quanquam scribæ imperatoris Iustiniani adu-  
lantius scribēndo, aliquid cōcessisse uideri pos-  
sint: tamen Phocas latrocinijs & alijs magnis  
sceleribus nobilitatus (de cuius imperio mente  
plaga Eutropius scripsit: Dominus sceptrorū  
tyrānus prouehit, & præualet aduersus felicitā-  
tē calamitas, & sumū principiū magna infortu-  
nia Ro.) post improbā petitionē Bonifacio pō-  
tifici cōcessit, ut fieret quod petebat diu, & Ro.  
caput ac princeps eslet omniū ecclesiarū. Quo-  
decre-

*Apoc. 17* decreto stolidi imperatoris, & per latrocinia exercitum cyp sceleratū creati reges x. bestiæ additi sunt. Eodem cyp tēpore Machumet radix peccati, & satanæ delicium prodijt, qui antichristia nam tyrannidē extra ecclesiam exercēs, antichristū in uiseribus ecclesiae & populi Dei grassantem redargueret. Audacior itaq factus Ro. pontifex, pauper quondā et seruus seruorū, sumpsit duo sibi cornua, non modo in corpora & res tēporariās, uerumetiā in animos & res spirituales potestatē exercens. Ne uidelicet deesset in populo Dei nouus Caligula, qui cōtra Christum monarcham totius orbis simultatē et æmulatiō nem gereret, ac postularet adorari pro summo pontifice, & rege omnī regum. Qui quidem mendacia loquens ritu diaboli draconis antiq, seçq ostentās tum alijs fictis miraculis, tum illo plusq Heliano, ut putet homines eum mittere ignē ē cōcelo in terrā: quo Christū referre maxime cōtendit, dum uideri uult dare spiritū sanctum, et igni cœlesti eos perdere, in quos torquet fulmē anathematis, suisq diris execrationibus obijcit indignationi omnipotentis Dei, & apostolorū Petri & Pauli: ex reliquijs & cadaue re imperij Romanī iamolim defuncti, magicis præstigijs simulachrū quoddā imperij Romani ueteris excitauit. Cui potestate atque uirtute sua, quam falsò gloriatur se à Christo accepisse, sp̄ri

spiritum atq; motum addit, ut habeat præsides  
prouinciarum, & diceceses, cōferatq; beneficia  
& feuda, et condat leges, exigat uictigalia, suam  
religionem & formulam ceremoniarum con-  
tetur omnibus obtrudere: aduersantes autem, in  
rebus fidei etiam, non clementius persequatur,  
quam fecit uetus Rom. imperium, & prior illa  
bestia per decē insignes persecutions. Nec po-  
test quisq; contrahere, presertim in negotiatio-  
ne symoniaca rerū spiritualium, nisi charactere  
bestiæ succedaneo signatus sit, ac præ se ferat no-  
tas aliquas tum in frōte & fidei professione, tum  
in dextera & operibus bonis iuxta hominū tra-  
ditiones, aut saltem nomine, quod sit filius obe-  
diens sanctæ Rom. ecclesiæ, illiusq; pontificem  
agnoscat uerū Christi uicariū, & caput ecclesiæ  
catholicæ. Ut aut̄ alterū cornu ipse uentilat, ac  
per homines ordinatos autoritate apostolica  
Rom. sedis potestatem spiritualem exercet: ita  
cornu alterū & politicum gladium stringit, ac  
uibrat, & torquet in suos aduersarios brachio  
seculari. Nec ueretur iactitare leges, & iuramen-  
ta quædam inuiolabilia, & nescio quod ius di-  
uinū atq; humanū, quibus ad omne obsequiū  
suum obstrictos teneat reges, & illustrissimos  
principes, cunctosq; ordines regni & imperij  
Germanorū. Ad quos regnum Francorum à  
morte Ludeuici tertij, & Arnolphi, dolēte pon-

T tifice

tifice Rom. sed prouidētia diuina, & beneficio Christi regis regū, Germanorūq; uirtute, iustissimo titulo translatū est. Quod quidem regnū longē felicius & augustius fuisset, nisi Germani nostri, homines apertiores, aduersum callidissimos architectos, permisissent adulterinā notam imperij Rom. suo regno imprimi. Quam simplitatem quanta iactura sanguinis & omnium rerum luerint, quid me attinet dicere. Cæterum si qui animosiores, uel ut stilos curialis uocat, inobedientes, rebelles, cōtumaces negent obsequiū Deo terrestri, aut negligentius & cunctando nimium præstet, fas est secundum iura papistica, (nō secundū leges Christi, qui dicit, Date Cæsarī quæ Cæsarī sunt, & Deo quæ Dei sunt: neq; secundū leges apostoli Christi, qui ait, Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit) ut principes suo imperio & iurisdictione, & paterna hereditate exuanſ. Et quis audeat reprehendere, si patres sanctissimi patriā potestate exerceat in filios: quos nemo carpere posset uel tacita cogitatione, si faceret qd summis pontificibus Iudeorū facere licuit, qui Antiochos implorarūt cum Magog & Mosoch, & Thogorma, nec nō Pōpeios, & Parthos. Proinde Christus pontifex max. et modis omnib. optimus princeps, excitat nos ad contemplandā bestiam truculentissimā, eiusq; nomen mysticōs edit nō sine magnis causis,

sis, atq; in suo nomine subindicat annos criticos  
bestie. Ac ne longum faciā sermonē de numero  
nominis bestiæ, clara uoce p̄fitebor, me pro ue-  
rissimo accipere, qd Irenæus, q; discipulos Ioan-  
nis apostoli uidit, maximè probauit, nomen be-  
stiæ esse λατεῖνος. Quedmodū enim in sermoni-  
bus Danielis, omnes reges Aegypti uno cōmu-  
ni nomine regis Austri significātur, & Syriere-  
ges nomine regis Aquilonis: ita gubernatores  
succedaneæ monarchiæ Rom. omnes rectissi-  
mè uocantur Latini. Quod nomen ipsi libenter  
agnoscūt, & pijs libenter cōcedunt, & eis aptissi-  
me cōuenit. Quis aut̄ nō agnoscit Latinū, & ec-  
clesiam Latinā, quę lingua latina negotiat, quæ  
iuris sui quodlibetū, & omnes scriptiones alicu-  
ius momenti conficit sermone latino, si non Ci-  
ceroniano, aut poëtico, at qualitercunq; latino:  
quę sacramenta, & rem diuinam peragit lingua  
latina, contra leges tum apostolicas, tum impe-  
ratorias: Cæterū in eo nomine continetur etiā  
numerus 666. Quod si numeres ab anno 97. re-  
paratæ salutis, quo Apocalypsis est edita, 666.  
annos, & intuearis statum ecclesiæ & politiæ  
Christianæ, cernes anno salutis nostræ 763. a-  
dultū iam antichristū, uictorē trium regū, & re-  
gib; formidabilē, & insipientibus Christianis  
adorabilē. Inde si numeres rursum annos 666.  
eosq; addas annis 763. cernes anno salutis 1429.

T 2 in

in fine pontificatus Martini quinti, antichristū  
prominentibus cornibus & auribus prælongis,  
& detracta larua nudatum, & claritate uerbi di-  
uini manifestatum, ut homines dicant: Tollat  
qui non nouit.

Nec semel irrisus triuijs attollere curat  
Fracto crure planum: licet illi plurima manet  
Lachryma, per sanctum iuratus dicat Osirim,  
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum:  
Quære peregrinum, uicinia rauca reclamat.

*Cap. 14.* Iam uero sequitur doctrina saluberrima, & in  
primis necessaria, cap. 14. ut pri uincant omnes  
hostes uisibiles & inuisibiles Christo auspice:

*Cap. 15. 16.* Et mox per effusionem septem phialarum iræ  
Dei, ostenditur, ut Christus puniat etiam in hoc  
seculo hostes suos, pseudochristum, & adoran-  
tes bestiam, & omnes qui uerbum & ecclesiam  
Dei persequuntur. Qui nihilominus reseruan-  
tur sempiternis supplicijs, nisi recedant ab im-  
pietate, & cōfugiant ad clementiam & opem di-  
uinam. Respondent autem septem plagæ illis dece-  
plagis, quibus Pharaon pertinax contemptor im-  
periū diuini cum tota Aegypto extinctus est.  
Quas etiam Dominus in maledictionibus per  
Mosen eis minatur, qui leges diuinæ cōtuma-  
citer transgrediuntur. Easq[ue] poenas infligi ecclæ  
Romanae per centū annos iam, & amplius,  
nemo negabit, nisi qui apertissimam ueritatem  
negare

negare uolet. Ex prima enim phiala effunditur morbi corporis, maximè ulcus pessimum & sæuum. Recogitent homines, quām sæue pestilen-  
tiæ superioribus centum annis fuerint. Reco-  
lant scabiem, siue Indicam, siue Neapolitanam,  
siue Hispamicam, siue Gallicā, quo tempore in-  
uaserit Europam, & quos maximè persequat.  
Ex secunda phiala effunditur sanguis in mare.  
Quantū uero sanguinis effusum est in bellis con-  
tra Ziscam & Procopium, duces Bohemorū,  
idq; impulsore Martino pontifice, qui Constā-  
tiæ creatus est, per legatum suum Angelum Ce-  
sarīnum, qui & regi Hungariæ Vladislao fuit  
autor, ut foedus decennale cum Amurathে prin-  
cipe Turcarum iſtū, interposita autoritate Ro-  
manī pontificis rumperet. Vnde infelix bellum  
obortum est, qd regem sustulit apud Varnam  
flumen: pauloq; post Constantinopolis amis-  
ta est, & Trapezus, ut alia innumera bella, quæ  
continua fuerunt usq; ad hunc diem, prætermi-  
tam. In quibus omnibus maxima pars fuit Ro-  
manus pontifex, aut aliquis iuratus ei Cardina-  
lis, aut episcopus, aut abbas. Ut enim nō decet  
prophetam occidi nisi in Hierusalem; ita Roma-  
nam sedem decet interesse omnib. negotijs, que  
pertinet ad profusionem sanguinis Christiani.  
sicut docent historiæ per DCCC. annos, & ex-  
perientia quotidiana. Tertia phiala effunditur

T 3 in flu-

in flumina & fontes doctrinæ sacræ: quæ imp̄js uertitur in laqueum. Conspurcant enim eam affectibus carnis & sanguinis, omniaq; torquent ad suum fastum & auariciam, ut deuorēt peccata populi, & bibāt sanguinem infeliciū, qui pereunt credentes mendacio: ut cæci & cæcorum duces simul cadant in foueam. Quarta phiala effunditur in solem iustitiae Christum, ut facies Seruatoris, quæ exhilarat sola mentes fidelium, torqueat pessimè antichristianos, quibus nihil æque dolet, atque clarissima doctrina fidei, quod per solam passionē et meritum Christi credentib. obueniat iustitia et salus, et uita æterna. Hinc sunt illæ lachrymæ: hinc illæ uoces, nouū istud euangeliū adferre crebras calamitates: & hæreticos euangelicos, qui deseruerūt synagogā satanæ, peiores esse q; Turcas. Quinta phiala effunditur nō in solium Christi, nō in cathedram Petri aut Pauli sanctiss. apostolorum Domini, sed in sedem apostaticam Rom. pseudoeiscopi, et factitiū uicarij Christi: que ita perdidit suam gloriā, & preclaram existimationem sanctitatis & sapientiæ, & religionis ueræ, ut pu eris & lippis & tonsoribus notissimum sit, eo peiores esse homines, quo propiores sunt Romæ: Je nāher Rom/ je bōser Christ. Et ex triade Romana celebrat: nebulonem querere, qui primò Romā adeat, secūdò inuenire, tertio reportare.

Nunc

Nunc ridentur passim indulgentiæ & fulmina Romani pontificis, quæ magno quondam precio constabant, quæcꝝ peius metuebant homines, quam cœlestis numinis offensam. Ridetur leges, & edicta, & callide imposita iuramenta, ut dicat pñj principes & uulgas, Laqueus quem meretrix Babylonica iniecerat, per uirtutem uerbi diuini contritus est, & nos liberati sumus, ut seruiamus in sanctitate & iustitia Christo seruatori nostro. Interim ringuitur Papistæ, & manducant linguas suas, & negant non pauca: uel artificiose pharmaco interpretationis calidæ medentur eis, per quæ uident detegi suam peruersitatem. Porrò sexta phiala effunditur in Euphratrem, flumen Babylonis, quod opes & luxum & uoluptates præbet Babylonicis. Et deriuantur opes ecclesiasticæ partim in uerum usum, ut alantur pauperes, & foueantur bona ingenia, & excolatur doctrina Christiana: partim in uarios abusus, per eos qui convertunt in rem priuatam, quod à pñjs hominib. dedicatum est ærario ecclesiæ Dei. utraqꝝ tamē deriuatione opum ecclesiasticarum, qua Roma perdit annatas, palliorū redemptions, numum Petrinū, quæstum indulgentiarū et dispensatio num, alioscꝝ infinitos redditus, aperitur uia bonis principibus, & præconib. euangelij, qui ueniunt à Christo sole iustitiae, ut promoueatur regnum

regnum Dei, & contrahat dominatus antichristi. Quam rem ferre non potest trias infernalis. Ideoque exiunt tres ranæ, nō Seriphiae, sed Aegyptiacæ & Babylonicae: nimirū tres ordines oratorum, legati à latere, & doctores seculares, & monachi concionatores, qui etiā multum pollent in confessionibus: qui tamen coaxant unā cantilenam, exaltationem Romanæ sedis, & defensionem patrimonij sancti Petri: qui homines coeno rerum terrenarum immersi: uenient ex ore magni pseudoprophete, et cum mandatis atque autoritate sedis apostaticæ, & ex ore bestiæ prodeunt. Nam status imperij Romani, qui adhuc haberi uolunt obedientes & legitimati filii matris fornicationum Rom. curie, hoc probat. Et ex ore draconis. nam licet prætexat suis legationibus nomen Christi et ecclesiæ, adventus tamen eorum est secundum operationē satanæ. Quid autē petunt? quid supplicant oratores apostolici apud reges quo scunq; in terra: ut opitulentur ecclesiæ Romanæ, & defendant iustitiam sancti Petri, & excindant hæreticos, qui exiccat aquas Euphratis. Nam cōgregantur in Hermagedon, quod sonat Syris excisionem riui. Petunt enim succurri, ubi cuncte exciduntur riui, per quos deriuatur Euphrates, & opes ecclesiastice subtrahuntur, ne materia tanto luxui suppetat; & legitima obedientia principum.

cipum. Et beneficium accipere in tempore abs quolibet homine, per gratū est. O si compesceret Solymānus p̄aeconiū euangeliū, quo uerus Christus & antiqua religio p̄edicanter, q̄ p̄aeclarum facinus ederet, multisq; longē gratissimum: Qui etiā honorificentiori pōpa eum exciperent, quām asino insidens imago excipitur in die palmarū, cum eiusmodi hymnis: Hic est qui uenturus est, hic est salus nostra: Benedic̄tus, q̄uenit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Sed quid lucrificiunt, qui oppetias uenient pereunti Babyloni, & ecclesiam Dei ueram oppugnant: Congregant ad diem magnū Domini omnipotentis, ut iusto iudicio Dei pereāt.

Qui enim ledit ecclesiā, lēdit pupillā oculi Do- Zach. 2.  
minici; & est ecclesia lapis oneris cunctis popu- Zach. 12.  
lis, ut omnes qui leuant eum, cōcīsione laceren- Esaie 41.  
tur. Est deniq; plaustrum triturans nouum, ha-  
bens rostra serrantia: quod triturat montes, &  
cōminuit, & colles ponit ut puluerē terræ. Pro-  
inde caueant sibi, qui ecclesiam aperte uel clām  
oppugnare conantur. non enim ferent impu-  
ne. Videant etiam euangelicę doctrinā sectato-  
res, ut uigilent, & Christū induti ambulent ho-  
nestē tanquam filij lucis, ut cū Dominus uene-  
rit, inueniat eos uigilantes & paratos in occur-  
sum lātum & optatissimū Christi seruatoris.  
Septima phiala effundit in aērem, & charismata

V spiritus

spiritus sancti, ut antichristiani prorsus traditi in  
reprobū sensum peccent in spiritū sanctū, et cō-  
uicti oppugnēt cognitā ueritatē, et dicāt in Beel  
zebub fieri, quæ digito Dei, & affectione sancti  
spiritus gerunt. Quamobrē oppressi tempesta-  
te maxima, quā Deus omnipotēs cōmouit, pe-  
reunt, & nolūt sentire, & sentiendo resipiscere.  
Adhuc enim conant̄ resarcire schisma, quantū nō  
fuit in ecclesia Rom. quū pars hominū, qui sedu-  
cti fuerant prestigijs Ro. pōtificis, studet meros  
Christianos præstare: pars antiquam, ut uocat̄,  
& cōmenticiam religionē per omnia repararet;  
pars duab. sellis sedere machinaſ, ut neutri prio-  
rum partiuſ se bona fide adiūgat. Quam ruptu-  
ram conciliū nullum resarciet, ut pōtis ex Rom.  
restituat̄ in integrā dominationē, & opinione,  
quam habuit anteç̄ reuelaretur à die Domini:  
& si omnes reges Christiani nominis, et Sophi  
Persarum, & Prestian Indorum, & Gog Cham  
Tartarorum, & Sultanus atq; Amiras Turcarū  
cōspirarent eum extollere, quem Deus uult de-  
pressum. Dicit enim Dominus, Actum est: que  
uox à iudicijs mutuò accepta, indicat latam esse  
sententiam, & litigatores cum suis patronis &  
aduocatis frustra tendere contra iudicis decre-  
tum. Sed quād durum sit impingere calces in  
stimulum, & cum Deo pugnare, tum demum  
sentient antichristiani, quium in die ultimi iudi-  
cij ta-

ej talentum & ingens pondus iusticiæ Dei ad  
 inferos eos deprimet, quādō peccatores etiam  
 dentibus suis frendent, & cōtabescent, & omne  
 desiderium ipsorum peribit: iusti autem stabūt S. p. 51.  
 in magna constantia aduersus eos, qui ipsos an-  
 gustiauerūt, & abstulerūt labores eorū. Quar-  
 ta pars expositionis sequitur, quæ describit finē  
 bonorum hominum: partem & malorum, quæ-  
 nam præmia proposita sint pijs & ultorib. Chri-  
 sti: & contrā, quæ supplicia parata sint diabolo,  
 & antichristo cum suis mēbris, & universis im-  
 pijs. Et 17. quidē capite bestia utraq, prior puta Cap. 10.  
 uetus Rom. imperiū, & posterior, hoc est, mo-  
 narchia papistica, describitur suis notis & colo-  
 ribus: ut sontes in conspectū populi producūt,  
 quando in eos sententia capitalis fert, ultimūq;  
 suppliciū ab eis sumendū est. Capita septē inter-  
 pretat ipse Dñs septē mentes, in quib. sedem ha-  
 bet utraq bestia. Neq; obscure significatur sep-  
 temcollis Roma, quæ in collib. suis templo ido-  
 lorū, & prophanas religiones habuit. Nec reli-  
 giosior est hodie, postq; à doctrina apostolica  
 in primis Pauli & Petri turpiū desciuit. Daniel  
 quoq; predixit antichristū fixurū tentoriū inter  
 duo maria, nimirū inter superū & inferū mare.  
 Interpretat Dñs 7. capita etiam septē reges, qui  
 deinceps tenuerunt imperiū Ro. post Neronē,  
 in cuius cæde monarchia Rom. letale uulnus

acceperat: sed obductum fuit uulnus. Eorum  
 quinque ceciderant, quun scribere*t* Apocalypsis:  
 Galba, Otto, Vitellius, Fl. Vespasianus, Titus  
 Vesp. Vnus, hoc est sextus, tun erat in imperio,  
 Domitianus, qui Dominus & Deus noster ap-  
 pellari uoluit. Vnus nondum uenerat, que ope-  
 ruit breui tempore manere. is fuit Cocceius Ner-  
 ua, qui regnauit annum & mesles quatuor. Porro  
 Traianus octauus fuit, & quidem ex septe illis:  
 quia Nerua eum adoptauit, & imperium ei dele-  
 gauit. Tuncq fuit imperium Rom. & non fuit im-  
 perim Rom. qa Traianus nec Romanus ciuis,  
 nec Italus fuit, sed Hispanus. Et tamen dicebat  
 Rom. imperium: quod quidem etia abiert in interi-  
 tum. Nam statim post morte Traiani cooperut  
 deficere populi à Romano imperio. Quumq  
 discruptum esset in decem, hoc est multa regna &  
 monarchias, Vandalorum, Gothorum, Franco-  
 rum, Anglosaxonum, Burgundionum, Almanorum,  
 Gepidarum, Marcomannorum, Bulgarorum, Græ-  
 corum, &c. parum corniculum, ut Daniel predixit,  
 sese protulit inter illos reges, & cito maximam po-  
 tentiam acquisiuit, ut pleriq alij reges se illi subier ce-  
 ret. Deinde iudicium Dei profert in Rom*a*, et im-  
 perim uetus, adhibitis uerbis et schematib. quib.  
 Esaias, Hier. & alij uates præcinuerut occasum  
 Chaldaice Babylonis. Rom*a* aut tropicos signi-  
 ficari nomine Babylonis, diuus Hieronym. non  
 uno

uno in loco docet: nec non Græcorū cōmenta  
rīj in Apocalypsim. Ceterū cap. 19. iudiciū pro-  
fertur, sentētiaq; capitalis in secundam bestiam.  
In 20. autem capite monstrantur supplicia para-  
ta omnibus īmpījs, siue Iudæi sint, siue Turcæ  
& Tartari, siue pseudochristiani, cum suo capi-  
te ac parente diabolo. Prius tamen exemplum  
proponitur maximi belli cōtra ecclesiam & po-  
pulum Dei: quo spectandum exhibitur iustum  
iudicium Dei aduersus omnem impietatē. Ve-  
nit enim lux euangelicæ prædicationis in totum  
orbem per apostolos, in primis uerò per docto-  
rem gentium & organum electissimū Dei Pau-  
lū: qui ab ipso Christo cœlitus ad euangeliū mu-  
nus uocatus, neq; ab hominibus neq; per homi-  
nes euangeliū accepit, & plus quām cæteri apo-  
stoli effecit. ideoq; per angelum cœlo descendē  
tem aptissimè figuratur. Homines autem magis  
dilexerunt tenebras quām lucem: ut anno mil-  
lesimo, postq; Christus obtinuit regnum in ter-  
ris, utiq; à consummatione Iudæorum, satan im-  
peritar in mundo æquè atq; ante prædicatum  
Christum. Et quæ peruersitas omnium popu-  
lorū sit, quanq; pares in sceleribus & impietate  
sint, & quod nullā excusationē sibi reliquerint  
apud Deū, animaduertere licet in expeditione  
famosissima, quam Gotfridus cū suis fratribus,  
impulsore Vrbano papa, suscepit pro recupera-  
Cap. 19.  
Cap. 20.

tione terræ sanctæ & Hierosolymorum. In quo  
bello cōmissi sunt titulotenus Christiani, Galli,  
Itali, Græci, Germani, Iudæi, Saraceni, Turcæ,  
adeoq; nationes propè omnes habitati orbis.  
Cæterum ea perfidia crudelitate, iniustitia, teme-  
ritate, immanitatemq; proditionibus, latrocinijs  
usū sunt omnes, ut Scythæ, & si quid est Scythis  
magis barbarū & immane, censerī possint. Vni-  
uersi etiam diabolo instigante oppugnarunt ec-  
clesiā Dei per totū orbē, & ultione diuina per-  
empti sunt, ut Antiochus olim cum suis copijs  
bellū intulit Iudæis, populo Dei, donec cœlesti  
ap. 21. 22 vindicta perimeret. Posthęc 21. cap. & parte ali-  
qua 22. capit is, felicitas & gloria sanctorū ostendit  
ur figuratis sermonibus, exēplo aliorū pro-  
phetarū, q̄ uerbis mutuò sumptis à rebus, qui-  
bus summa felicitas, quæ in terris obtingere ho-  
mini potest, uelut per transennā inspicienda &  
æstimanda proponūt æterna bona, quæ Deus  
præparauit diligētibus ipsum: quæ neq; oculus  
uidit, neq; auris audiuit, neq; in mentē hominis  
uenire possūt, qualia quātaq; sunt natura sua. In  
quorū schematū & troporū cortice dum carnales  
homines herēt, ueluti Corinthiani, & Iudei,  
& Machumetici, neq; ad nucleū spiritualis intel-  
ligētiæ penetrāt, somniāt poëticū & fabulosum  
paradisum, in quo nō angelicā & spiritualē uitā  
agant, sed corruptæ carnis desideria perficiant.

Ad

Ad extremū absolutæ narrationi subiicitur conclusio, quarta pars huius scripti, ex prima diuisione. quæ pro more hominū, quē in diploma tibus & publicis instrumētis munieris cōtra oēs corruptelas obseruare solent, instructa est. Summatim enim perstringuntur illa, quæ in titulo, et exordio, & narratione tota fusius tractātur. Deinde obtestatio uolūtatis principis Christi apponit, qui hoc scriptū ecclesiæ suæ dedit p angelū & apostolū dilectiis. Ioannē, ut pignus suæ præsentie & testimoniuū euidēs omnipotentiis numinis, quo præscit, & iudicat, & gubernat uniuersa in cœlo & in terris. Clarē nanc̄ assuerat Dominus hanc pphetiā, qua manū supremā & quasi colophonē scripturæ suæ authēticæ imponit, clarā & perspicuā esse, quā nō uult obsignari, ut Danieli dicit: Claude sermones, & si. gna librū usq; ad tempus statutū. Ostēdit etiam placere sibi, ut publicet inter homines, siue plaeat, siue displiceat; siue recipiat, siue aspernēt: siue meliores inde reddant, siue obstinatores.

Quēadmodū etiā Ezechieli dicit: Loqueris uerba mea ad illos, siue audiāt, siue recusent audiēre. Et Danieli angelus dicit: Eligent, & dealbabit, & quasi ignis probabunt multi. Et impie agēt impij, neq; intelligēt oēs impij. porrò docti intelligēt. Testat quoq; Dñs Christus, hęc certa, firma, & rata fore in æternū. Præterea ostendunt præmia, pposita bonis & pijs hominib, q

Cap. 22.

Dan. 12.

Dan. 12.

huic doctrinæ Christianæ fidem tribuunt, eiç uitā suam accōmodant, pro uirili sua exequentes, quæ Dominus præscribit. Rursum horrenda supplicia decernuntur contemptoribus huius theologiæ, in primis uero falsarijs, qui hoc diuinum instrumentū & diploma sacrosanctū imperij & pontificatus Christiani corrumpere audent, addendo aliquid, aut detrahēdo, aut immutando sententiam genuinam Dei patris, qui hæc suis cultoribus reuelare dignatus est per Christum filium unigenitum, & uerbum æternum atç cōsubstantiale, cum spiritu sancto, cuius afflatu & numineres tota peracta est. Atque his omnibus apostolus Ioannes subscribit tum Christi, tum spōsæ ipsius ecclesiæ, tum spiritus, qui agit in toto corpore ecclesiæ piorū, tum suo nomine, adeoç nomine uniuersorū sanctorū: cū faustissima & apostolis familiari imprecatio- ne gratiæ Domini nostri Iesu Christi, Amen.

Cernitis igitur optimi principes, atç uniuersi confortes Reipub. Christianæ, ex hac breui expositiuncula (quam tamen ego parum disertus homo, & ingenio mediocri, peritiaç diuinarū literarum mediocri prædictus, possem instruere locupletissimo testimonio sacræ scripturæ, & theologorū excellentium, solidisç rationibus, nec nō probatissimis historijs) diuinam reuelationem Iesu Christi, quo scripto nullum extat difficultus

difficilius intellectu, claram tamen esse, & intelligi posse ac debere ab hominibus Christianis. Cernitis omnem autoritatem atq; certitudinem suam habere nō ex iudicijs et decretis hominū, sed ex se se, & maiestate diuina. A` cuius throno in ecclesiā sanctā delata est, tū ad alios usus multos, tū ut ea obstruatur omne os loquēs mēdacia & blasphemias in scripturas sanctas, quod densissimis tenebris oblītæ, nihil certi & explorati ex se habeant, nullāq; autoritatē, nisi quantum ab hominibus acceperint.

*Q V O D D O C T R I N A P I E-*  
*tatis plena sit, demonstratur ex Apocalypsi, obi-*  
*ter cōfutata etiam uana scientia & præ-*  
*scriptionibus, quæ pugnant cum*  
*uerbo Dei.*

*P*ostq; uero demonstrauimus, diuinā Apocalypsim Iesu Christi nō esse ita Gordijs nondis implicitā, ut à nemine intelligi possit, sed plānā et clarā, præfertim magna ex parte iam impletis uaticinijs de antichristo supremo, cuius mysteriū ad tempus latuit nō nihil ecclesiasticos patres ex dispēsatione diuina, et habere ex se se atq; ex Deo autoritatē summam, demonstratum est etiā eo exemplo diuinas literas suæ in dōle & natura esse claras, perspicuas, & certas, nisi Deus quædā celet ad tempus occulto cōsilio, qui dat

X unicuiq;

unicuique manifestationem spiritus ad id quod  
prodest: ad haec habere fidem omnem ex Deo,  
non ex decretis hominum. Reliquum est igitur,  
ut eodem exemplo demonstrem, in diuinis lite-  
ris cotineri absolutam doctrinam bene beatissi-  
mum uiuendi, & scientiam perfectam recte iudicandi  
tam in praesens quam in futurum tempus, de  
omnibus negotijs ecclesiæ & reipublicæ Chri-  
stianæ. Quem locum earatione tractare stude-  
bo, ut eadem opera confutem uanas scientias,  
& praesertim quæ prænotionem futurorum  
pollicentur, nec non præscriptiones quasvis ho-  
minum, pugnantes cum uerbo Dei. Omniaque  
primum constat inter omnes theologos melioris  
notæ, Apocalypsim Iesu Christi continere uati-  
*Apocaly-  
pis est li-  
ber uati-  
cinus.* cinium de rebus Christi & ecclesiæ, & hostium  
ecclesiæ, ab ultimis temporibus imperatoris Do-  
mitiani usque ad mundi finem, quatenus ecclesiæ  
totius & piorum singulorum scire interest.

Quanquam commemoratio fatorum populi  
Dei, pariter & hostium Dei, etiam ultra diem  
mundi nouissimum, hic & in Daniele polyhi-  
store nostro, extenditur, illustratis dogmatibus  
de resurrectione mortuorum, & iudicio gene-  
rali, & uita æterna. Quod quidem prognosti-  
con uniuersale de negotijs regni & pontifica-  
tus sui, itemque de rebus hostium Dei & ecclesiæ,  
Dominus Iesus in hac theologia sic temperauit  
per

per diuinam & infinitam sapientiam, ut neque superuacuum aliquid ediderit, neque prætermiserit quicquam utile aut necessarium cognitu. Cæterum quæ censuit idonea ut reuelaret, ordine aptissimo prosequitur, & genere orationis, quod in rebus illustrandis & ponendis oculos plurimum ualeat. Non enim simplicibus uerbis res narrantur, non pictura tacita & mutare representantur, sed personis loquentibus, & agentibus ueluti per opus dramaticum in theatro & scena spectacionum diuinarum contemplanda exhibentur. Nec modo illa, quæ tam boni quam mali homines in terris agunt & patiuntur, hic spectare licet, sed etiam consilia, & animi conatus, & cogitationes. Quin & satanæ cogitationes, quæ à Paulo singularis sapientia prædicatur, Dominus in Apocalypsi sua reuelat. Antichristus autem nomine, loco, tempore, factis, ingenio et natura sua tota sic describitur, ut nullus pictor melius possit imagine faberrime picta, aut opere iconico faciem hominis exprimere. Quid quod apertis coeulis inspiciendum exhibitetur, qui nam homines reponantur in cœlestibus sedibus beatorum: & contrâ infernalis carceris porta reseratur, ut inspicere possint impios ipsos, & à Deo damnatos homines, et eorum sempiterna supplicia. Ut minime opus fuerit, uulgus Christianum

depictis beatorum choris & ordinibus ad pietatem allucere & inuitare, ac rursum horrifica specie ignis purgatori & inferorum à sceleribus deterrere. In qua re ineptius luserunt pictores Christiani, idq; probantibus theologis, quam Virgilius & Homerus & alijs poëtæ luserunt, canentes uel campos Elysios, uel tartara, & rotam Ixionis, & Tantali poma, & Sisiphi faxum, quod perpetuo nixu in aduersum cliuum agitur, aliaq; supplicia impiorum hominum. In primis uero iucundum est & salutare, in hoc theatro diuinissimo spectare personas peraccommosas angelorum, qui principem nostrū Iesum non solum ut agnum & victimam repræsentant, & humiliatum pro salute nostra, uerum etiam indutum gloria, quam ab initio habet. Exhibitetur enim non in sordidis uestimentis satana stante à dextris, ut Zacharias eum uidit tēpore humiliationis ob peccata nostra, utq; Esaias uidit, sine specie tanq; plagiis affectum a Deo, & qualem Pilatus in conspectum produxit furentis synagogæ, dicens: Ecce homo. Sed Messias exhibitetur iā decorus & speciosus præfilijs hominum, in augustissimo ornatu summi pontificis & regis, atq; imperatoris inuictissimi, & accinctus gladio super femur suum. Quem spectare licet operantem sacris in templo coelesti, & prosternentem copias ingentes hostium,

atq;

atq; propugnantē pro suo populo: præterea se-  
dentē in solio gloriæ & supremæ maiestatis, ac  
iudicātem uniuersa negotia. Quem audire hīc  
possimus dictantem & leges, & epistolas au-  
thenticas, nec non concionantem, & scripturas  
interpretantem. Ad hēc omnia cernimus & ex-  
audimus hic Iesum filium Dei & Mariæ uirgi-  
nis, ipsam ueritatem & sapientiam, prodeunte  
è sancto sanctorum in cœleste tabernaculum te-  
stimonij, & explicito  $\lambda\gamma\epsilon\omega$  & oraculari orna-  
mento pectoris, quod thesaurum iudicij theo-  
logia Mosis uocat, ostendentem fata singulo-  
rum hominum, & uniuersæ ecclesiæ, quatenus  
quidem refert nostra præscios esse futuræ for-  
tis. Nec modo præmonet Christus summus  
pontifex & propheta, & angelus magni consi-  
lij, quid boni aut mali expectandum sit, sed cau-  
fas etiam reddit, & consolatur efficacissime, ne  
succumbamus in afflictionibus: præterea osten-  
dit uias & rationes comparandi & conseruan-  
di bona, & declinandi mala, aut perferendi ea,  
ut in maximum bonum cedant. Itaque non iam  
in ecclesia Christi requirimus libros Sibylli-  
nos, ad quos sciscitatum eamus, si portenta &  
monstra terreat, ut Romani fecerunt. Non  
indigemus augurum & aruspicum doctrina  
superstitiosa. Non uates falsorum deorum, non  
phœbades Apollinis  $\lambda\gamma\epsilon\omega$ , iam audire fas est,

non simulachra deorum factitiarum, immo ca-  
codæmonum. Quæ in aduentu Christi prin-  
cipis uniuersa conticuerunt. Is enim uirtute sua  
diuina & immensa destruxit officinas & taber-  
nas cacodæmonis impostoris, & mirifici præ-  
stigiatoris, qui oracula gentilium gubernando  
pro sua pessima uoluntate, infinitis malis ob-  
ruit infelices homines, qui stolidè & impie cre-  
duli suas res priuatas & publicas instituerūt ex  
præscripto diaboli. Exemplo hic sit unus Croe-  
sus, opulētissimus, & sua opinione beatissimus  
rex Lydorum, qui secutus oraculum Apolli-  
nis loquentis ambiguè, Croesus Halym supe-  
rans subuertet plurima regna: quærendo am-  
pliora regna, sua perdidit, cum libertate: & uix  
ereptus est pyræ, in qua uiuus exureretur.  
Quamobrem Dominus Christus, ut hac etiā  
in re præcipui quidem momenti, alligaret sata-  
nam fortē, qui hactenus tyrannidem crude-  
lissimam exercuerat, ac maxime quidem in fal-  
sa diuinatione, paſsim in orbe uniuerso sustu-  
lit oracula, stupentibus philosophis, ueluti Plu-  
tarcho Cheroneo, & regibus, & uulgo, dum  
caſam ignorant, filium Dei carne humana ue-  
ſtitum iam à Deo propositum esse unicum ora-  
colum certæ & exploratæ fidei. Cuius poten-  
tia sustulit mulieres Phytonicas, anguem Epi-  
daurium, arietem cornigeri Hammonis, colum-  
bas,

bas & quercus loquentes, & ærea tintinabula  
 Louis Dodonæi, tripodemq; Cirrheum, & lebe-  
 tem Thesprotium, antraq; Lebadiæ, & Tro-  
 phonij & Mopsi, deniq; totum instrumentum  
 & officinas omnes falsæ diuinationis. Ut audia-  
 mus iam in omnibus rebus illum, quem aper-  
 tis coelis pater coelestis declaruit magnum pro-  
 phetam, de quo uaticinatus est Moses. Dicit  
 enim Deus, Hic est filius meus dilectus, in quo  
 placata est anima mea, ipsum audite, Moses au-  
 tem ita scripsit: Prophetam fuscitabo eis de me  
 dio fratrum suorum, similem tui, & ponam uer-  
 ba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia  
 quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius quæ  
 loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego  
 ultior existam. Etenim quia religio uera dicitat,  
 ut homines Christiani à suo principe Christo  
 petant uniuersa bona, & per illum atq; in nomi-  
 ne ipsius à Deo patre, qui creauit angelos & ho-  
 mines, & uniuersa quæ in mundo existunt, maxi-  
 me ab eo petenda est præstantissima noticia tem-  
 poris, in qua uiri sapientes prudentiae uim totā  
 cōcluserunt. Non quod tanta res sit discernere  
 inter diem & noctē, inter æstatem & hyemem,  
 quamquam & naturalis temporis cognitio ma-  
 gnas commoditates affert: sed quod noticia  
 negotiorum quæ gesta sunt, aut geruntur,  
 aut aliquando fient, & causarum omnium,

quidq;

*Matth. 17.*

*Deut. 18.*

*A&t. 7.*

quidque facere conueniat pro temporum & negotiorum ratione, plurimum ualeat ad totius uitae institutionem. Quemadmodum Solo-

*Eccles. 3.* mon docet nosse tempus, cum inquit : Omnia tempus habent, & suis spacijs transiunt uniuersa sub cœlo . Hieremias quoque grauiter obiurgat sui temporis homines , qui non perpenderent subducta ratione ad uerbum Dei, quid suppli- cio expectandum esset, ac deberetur peccatis ip- forum. & exclamarent, pax, pax, cum non esset

*Hier. 8.* pax. Sic enim ait: Miluus in cœlo cognouit tem- pus suum , turtur & hirundo & ciconia custo- dierunt tempus aduentus sui, populus autem meus nō cognouit iudicium Domini. Quomo- do dicitis, sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscū est : Verè mendaciū operatus est stilus mendax scribarū. Cōfusi sunt sapientes, perter- rit et capti sunt. Verbū enim Dñi proiecerunt: et sapiētia nulla est in eis. Ad eundē modū Chri- stus Seruator, quū docuisset semp expectandū esse aduentū Dñi, & de suo aduentu in carnem disseruisset, ait: Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare , hoc autem tempus quomo- do non probatis : Atque utinam Dominus ali- quando tandem Germaniæ & omnibus natio- nibus det meliorem mentem, ut expendant uer- ba Seruatoris, quæ adiens Hierosolyma ut rex mitis, sicut prædixerat Zacharias, flens dixit:

Venient

Venient dies in te, & circundabūt te inimici tui *Luc. 19.*  
uallo, & circundabunt te, & coangustabunt te  
undiqꝫ, & ad terrā prosterneat te, & filios tuos,  
qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem  
super lapidē: eo quod non cognoueris tempus  
uisitationis tuæ. Visitauit nos quoꝫ oriēs ex al-  
to, & lux euangelicæ ueritatis orta est habitanti-  
bus in tenebris & in umbra mortis, in quas anti-  
christus abominandus miseris coniecerat. Sed  
quia ingratos se plætiqꝫ Deo præbent, & pau-  
cissimi faciunt fructus dignos pœnitentia, qui  
uita exprimant salutarem doctrinam Christi:  
pars autem maxima etiam procerum ecclesiasti-  
corum, omni crudelitate persequitur uerbum  
Dei: periculum est, ne dies etiam ueniant in titu-  
lotenus Christianos, qui uenerunt in gentem Iu-  
daicam titulo religionis ueræ glorioſam, ut ser-  
uiant miserrimā seruitutem sub tyrannis fæuissi-  
mis, in terra aliena, qui nolūt iā in terra sua Chri-  
stum regnare super ipsos, cuius onus leue, et cu-  
cuius iugum suave est. Ut autem simul pruden-  
tis, simul pīj et Christiani hominis est inuestiga-  
re conditionem præsentis & futuri temporis, et  
nō ritu Epicureo, uel potius belluino, prorsus  
non tangi cura futurorum: ita cōuenit summo-  
pere uitare duo uitia, quæ in magnas calamita-  
tes solēt homines protrudere: curiosam affecta-  
tionem cognoscendi res minutas & leuiculas,

Y quæqꝫ

quæcognitu necessariæ aut utiles non sunt,  
& superstitionem credulitatem, ut facile quis af-  
sentiat diuinaculis quibuslibet, aut obserua-  
tionibus eiusmodi rerum, per quas Deus non pro-  
posuit reuelare arcana sua consilia & iudicia.  
Cuiusmodi est ominum & sortium, & quo-  
rumuis somniorū obseruatio, & diuinatio eo-  
rum, qui per somniorum coniectationem, aut  
per alias coniecturas futurorum scientiam pol-  
licentur. Quibus adnumerari possunt fatidi-  
ci, qui reuelationibus et uisionibus angelorum  
tumidi incedunt, sibiꝝ arrogant facultatem di-  
uinā præsagiendi res futuras. Cuiusmodi sunt  
reuelationes Brigidæ, Catherinæ, Merlini, Te-  
lesphori, Cyrilli, fictitij Methodij, Nolhar-  
di, & aliorum eiusdem farinæ & spiritus pro-  
phetarum. Qui neque argumentis & rebus, ne  
que genere orationis plano, perspicuo, aptis-  
simè digesto, cum sacris uaticinijs congruunt.

*Hicre.23.* In quos Hieremias grauiter inuehitur, simul-  
que monet pios, ne ab eis seducantur: Hæc  
dicit Dominus exercituum, inquit, Nolite au-  
dire uerba prophetarum, qui prophetant uo-  
bis, & decipiunt uos. Visionem cordis sui lo-  
quuntur, non de ore Domini. Dicunt his qui  
blasphemant me, locutus est Dominus: pax e-  
rit uobis, & omnibus qui ambulant in praui-  
tate cordis sui, & dixerunt, Non ueniet super  
nos

nos malum. Quis enim affuit in consilio Domini, & uidit & audiuit sermonem eius? Quis considerauit uerbum illius, & audiuit? Et postea: Propheta qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum uere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus: & quae sequuntur. Et rursus: Nolite audire prophetas uestros, & Hiere. 27. diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt uobis, Non seruietis regi Babylonis: quia mendacium prophetant uobis, ut longè faciant uos de terra uestra, & ejciant uos, & pereatis. Qualis fuit diuinacus Ioannes Viterbiensis, qui anno circiter M C C C L X X X . Sexto quarto tenete pontificatum Rom. pollicitus est, filium Machumetis imperatoris Turcarū, qui Constantinopolim cepit, à Christianis interficiendum esse, & Turcas atq; Saracenos ad obedientiam Ro. pontificis adducendos, eamq; reformationem duraturam esse mille annis: inde reliquias Saracenorum, quae cōfugerint ad Gog & Magog, erupturas in orbem Christianū, & antichristū sœ uiturum esse. Ad hunc modū Hieronyme Ferrarensis uaticinari te oportebat, si prophetias tuas cupiuisti approbari à sede apostolica, et nō damnari ab Alexandro papa, qui nō peritior fuit rerū diuinarum, q; asinus musicæ peritus est. Vanissima quoq;

pariter & perniciōsissima est diuinatio per necy  
omantiam & pyromantiam, gæomantiam, chi-  
romantiam, hydromantiam, & similes supersti-  
tioſas ſcientias, quibūs astrologi & genethliaci  
iure accēſeri poſſunt, qui, ut inquit Gregorius  
Nasianzenus, fингunt poſitiones & figurās ſi-  
derum, ut tollant diuinam prouidētiām. Quo-  
rum uanam doctrinam Eſaias propheta eleuat  
ac totā explodit, insultans Chaldeis, qui prima-  
tum in astronomia tenuerunt: Veniet ſuper te  
malum, & nescies ortum eius: & irruet ſuper te

Eſai.47. calamitas, quam non poteris expiare. Veniet ſu-  
per te repente miseria, quam nescis. Sta cum in-  
cantatoribus tuis, & cum multitudine malefi-  
corum tuorum, in quibus laborasti ab adole-  
ſentia tua, ſi forte quid proſint tibi, aut ſi poſſis  
fieri fortior. Defecisti in multitudine conſiliorū  
tuorum. Stent & faluent te augures coeli, qui  
contemplabantur ſidera, & ſupputabant men-  
ſes, ut ex eis annuciarent uentura tibi. Ecce fa-  
eti ſunt quaſi ſtipula, & ignis cōbuiſſit eos. Hie-

Hier. 10. remias quoq; mathematicorum diuinationē ut  
gentiliciam reiecit, qua tamen hodie ducuntur  
episcopi Christiani ſcilicet, et ſummi pontifices  
atque monarchæ, inquiens: Iuxta uias genti-  
um nolite diſcere, & à signis coeli nolite metue-  
re, quæ timent gentes: quia leges populorum  
uanæ ſunt. Et ſane, quanta ſit uanitas legum  
eþnitarum

ethnicarum in uaticinatione astronomica, satis  
testantur astrologi Machumetici, qui cōsidera-  
tis planetis, et eorū reuolutionibus, et aspectib.  
toruis, iam pridem finem Christiane religionis  
denunciarūt. Quos euentus iam pridem ut im-  
pios, ita etiā uanissimos redarguit. Nec isti aēro-  
batæ, et augures coeli, atq; uentosi prophete, in  
specto themate atq; positura planetarum supe-  
riorum aut inferiorum, uel animaduerso cuius-  
cūq; hominis horoscopo, magis prescire possūt  
rerumpublicarum ortus, incrementa, mutatio-  
nes, occasus, aut singulorū hominum fortunā  
& affectiones tam corporis quam animi: quam  
regis animum perspicere potest, qui parietes re-  
giae, aut solium inspexit: quicquid tādem etiam  
episcopi quidam nugētur de astrologia, & pro-  
phetia theologiaq; naturali. Quum enim nemo  
Deum uiderit, qualis est natura sua, nemoq; ar-  
cana cōsilia et iudicia diuinæ mentis inspexerit,  
nisi filius, qui est in sinu patris, soli uerbo filioq;  
Dei uera diuinatio iniuncta et alligata est, à quo  
etiā somniorū quæ diuinitus aliquando immi-  
tuntur, & portentorum quæ in aère, aut in cœ-  
lo, aut in terris, aut in aquis eduntur, iudicium  
& interpretationem petere conuenit. Quòd ut  
omnibus etatibus utilia et necessaria cognitu re-  
uelauit per angelos, aut per homines idoneos,  
ceu Dei secretarios, qui steterunt in cōsilio Do-

mini: ita postquam descendit in terras, & pera-  
cto negotio salutis receptum est in gloriam, li-  
bro uaticino ecclesiā egregie instruxit, quē con-  
fulant homines Christiani de fatis suis. Quod  
si conducat aliquando nonnulla specialius indi-  
cari, ut Agabus famem prænunciat, & Paulū à  
Iudæis in urbe Hierosolymorum in manus gē-  
tium tradendum esse: idipsum quoq; uerbum  
Dei reuelabit uel per angelum uigilantibus aut  
quiescentibus, uel per homines, uel alio quoç  
que modo. quod oraculum speciale ad hanc  
prophetiam Iesu Christi, tāquam ad generalem  
canonem, & Lydium lapidem, ut dicitur, sp̄ri-  
tus prophetarum et omnium uaticiniorum exi-  
gi oportet. Quamobrem prophetarum prin-  
ceps Moses in Deuteronomio una lege diuina  
simul uanos diuinaculos repudiat, simul om-  
inem diuinationis facultatem Christo attribuit.  
Sic namque præcipit: Quando ingressus fueris  
terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, ca-  
ue, ne imitari uelis abominationes gentium illa-  
rum: nec inueniatur in te, qui lustret filium suū  
aut filiam, ducens per ignem, aut qui hariolos  
sciscitetur, aut obseruet somnia atque auguria:  
ne sit maleficus, nec incantator, nec qui phyto-  
nes consulat, neq; diuinos, & qui quærat à mor-  
tuis ueritatem. Omnia enim hæc abominatur  
Dominus, & propter istiusmodi sceleradelebit  
eos

eos in introitu tuo. Perfectus eris, et absq; macula cū domino Deo tuo. Gentes istae, quarū posse debis terrā, augures & diuinos audiūt. Tu autē à domino Deo tuo aliter institutus es. Propheta de gēte tua & de fratribus tuis sicut me scitabit tibi dominus Deus tuus: Iesum audies.

Iam si aestimantur ea, quæ in titulo, & exordio, & narratione et conclusione huius libri tractantur, quæ superius à nobis summatim perstricta sunt, intelligetur, reuelationem diuinam Iesu Christi continere absolutissimam epitomē theologicā ac ueræ sapientiæ. Nam theologia, quæ & prophetia dicitur, aptissima definitione explicatur. Docetur etiam, quæ sit uera hominis beatitudo, & qua uia perueniatur ad eam. Mysteriumq; trinitatis, & tota ratio diuina pro uidentiæ oculis animi subiiciuntur, quatenus mortalis captus eorum capax est: ut Deus pater generans, Deus filius genitus, & Deus spiritus sanctus ab utroq; procedēs, unus sit Deus, & qualis naturæ et maiestatis, et infinitæ tū sapietiae, tū potetiæ, tū bonitatis: ex quo, & per quē, & in quo existūt omnia: quo numine trino & uno omnia cōseruantur, omniaq; gubernantur rectissimē. Quo fundamēto catholicæ & orthodoxæ fidei, quæcunque professiones, ueluti Iudæorum & Machometanorum, non innituntur, uanæ potius superstitiones dici merentur,

quām

*Apocalypsis epitome & commentarius in theologie.*

quām religiones, qualicūq; se fuso sapientiæ & pietatis atq; sanctimonie uenditent. Speciādus quoque exhibetur Messias in lege et prophetis multifariam promissus, et prefinito tēpore exhibitus, negotioq; salutis peracto in gloriam Dei patris omnipotentis receptus, ut sit uerus Deus & uerus homo, & seruator totius mundi, præcipue autem fidelium, & rex atq; pontifex æternus & catholicus uniuersi populi Dei. Adhæc mysticum corpus Christi, quod est ecclesia, copiosius & clarus hīc describit, quām in ullo canonico libro. Nam & status ecclesiæ militantis in terra uarius describitur, et triumphat in cœlo semper tranquillus, & extra omnem uicissitudinem rerum positus: perfectissimāque forma Christianismi, & sacro sanctæ reipublicæ: siue spectemus doctrinam synceram, siue externum cultum Dei opt. maximi, siue internam pietatem, & germanum signum atque characterem filiorum Dei. Quæ nota uerissima ecclesiæ primi uorum, quæ in albo cœlesti ab æternis temporibus descripta est, constat fide, & charitate, et spe immobili, defixa in promissiones diuinæ præsentis & futuri seculi. Ex qua uita spirituali, quam uerbum Dei cooperante spiritu sancto manant omnes uirtutes, & officia, & quicquid rectum, honestum, pulchrum, laudabile bonumq;

bonum que merito censemur. Non prætermit-tuntur etiam, quæ integratatem ecclesiæ labefacere possunt, aut singulis hominibus adferre perniciem: quoque pacto uitare & propulsare co-ueniat. Ac magnus quidē antichristus, et ipsius caput ac parens diabolus, cum suis membris & filijs, omnibusque hostibus Dei ac Christiani po-puli, uiuis coloribus tamen graphicè in Apocalypsi tanquā in tabula exprimuntur, ut cernere liceat eorum ingentes copias, ingenium, uoluntatem, sensum, conatus, artes pessimas, consilia, instru-menta, facultates, actiones. Ad hęc rationes de-monstrantur optimae, quibus debeant ac pos-sint partim repellи eorum insidiæ, & doli, & im-posturæ multiplices, nec non aperta uis & into-lerandæ iniuriæ: partim caueri serpentina pru-dentia, & columbina simplicitate. Utque breui-ter absoluam hic, quod antea fusius in hac rela-tione à nobis expositum est, quicquid Iob, Mo-ses, Dauid, Solomon, Esaias, Daniël, Zacha-riias: quicquid Mattheus, Marcus, Lucas, Ioan-nes, Paulus, Petrus: quicquid prescrij uates et a-postoli Domini, & scriptores historiæ sacræ de-rebus diuinis & humanis tradiderunt, id uni-versum comprehendit summam diuina reue-latio Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Ac ne quid deesset compendio theologiae per-fectissimo, non piguit pontificem & auctoritatem no-

Z strum

strum Opt. Max. atque unicum magistrum nostrum exemplo præire, ut scripturæ sanctæ explanari, & ad præsentium hominum eruditionem salutarem, atque ad ædificationem ecclesiæ accommodari debeant. Ut' que nihil hic deest quod pertineat ad doctrinam pię & sanctę & beate uiuendi: ita nihil etiam ponitur inutile, aut superuacuum & redundans: nihil incogitanter, nihil perperam, inepte, non suo loco. Præterea res spectantes ad theologicam scientiam, eo genere orationis, eo cœlesti artificio, eo modo promendī res diuinās exponuntur, ut non tam narrari uerbis, aut depingi notis literarum, quam faberrima pictura proponi, uel potius in templo diuinārum contemplationum, & spectaculorum personis aptissimis & actione conuenienti geri & repræsentari uideantur. Itaq; satis mirari non possum, quid illis in mentem uenerit, qui grauitatem apostolicam in theologia Christi requirunt, neque possunt hunc librum probare ut propheticum, aut apostolicum. Potuissent etiam utilius & honestius operam suam locare, qui compendia theologiae scholis Christianis obtruserunt, usque adeò discrepātia cū theologia Christi, ut dispendia potius dici mereantur, quam compendia theologiae. Nec melius de repub. Christiana meriti sunt, q; summis et centonibus

rerum

terum theologicarum ineptissimè consarcina-  
tis, ingenia studiosorum onerarunt. Cæterum  
thalmud consarcinatum à rabinis iudaicis, quo  
infelix synagoga detineatur in cœcitate extrema.  
& perfidia: & alcoran pseudoprophetæ Ma-  
chumetis: & quodlibetum Romani pontificis,  
quod continetur decreto, & decretalibus, &  
Clementinis constitutionibus, & sexto libro, et  
extraugantibus, sub falso titulo iuris canonici,  
cum nihil iniustius & enormius sit, à compen-  
diosa theologia Christi Domini prorsus dam-  
nantur, & ab ecclesiæ gubernatione remouen-  
tur. Nisi quod per otium legi possunt à Chri-  
stianis, sicut prodest etiam legere omnium hæ-  
reticorum & gentilium & maleficorum libros.  
Etsi enim magistri Iudæorum plurima ex lege  
& prophetis in thalmud & doctrinale suum re-  
tulerunt, plurimas enim sententias patrum me-  
morabiles, quæ in canonicis scripturis nō ijsdē  
uerbis ponuntur: & Machumet non pauca in  
suū alphurcan transcripsit ex diuinis scripturis:  
& consarcinatores quodlibetī papistici, sacros  
libros, & theologorū ueterū cōmentarios mul-  
tis in locis cōpilauerunt, utqe Hieremias dicit,  
suffurati sunt uerba Dei: tamen quia sibi uendi-  
cāt, quod solius uerbi Dei est, gubernationem  
conscientiarum, & religionis, & populi Dei,

& in plerisque dissident à doctrina uerbi diuinii, iam addendo, iam detrahendo, iam peruentendo, & interpretando malignè: Christus hac sua theologia, uniuersa hæc commenta, partim satanica, partim humana, ueluti gladio anticipiti & penetranti usque ad diuisionem animæ & spiritus, iugulat. Nam theologiam definit reuelationem per uerbum Dei, de his quæ oportet fieri, pertinentem ad seruos Dei: quæ definitio Iudaicis & Machumeticis, & papisticis nugis non magis congruit, quam descrip-  
tio lucis & diei profundæ nocti conuenit. Horrenda etiam supplicia corporis & animæ decernit, ut ex albo etiam ciuitatis Dei nomina eorum deleantur, qui ausu temerario aliquid addunt, aut detrahunt perfectissimæ doctrinæ Christi. Beatitudo autem & uita æterna promittitur ijs, qui legunt & audiunt uerba huius prophetæ, & seruant quæ in ea scripta sunt. Vnde consestaneum est, ut proponatur male-  
dictio contemnentibus atque uiolantibus hanc theologiam. Quod quidem iudicium Dei, quo damnantur humanæ traditiones de pieta-  
te, & cultura numinis, ac de uita beata, typo longè aptissimo figuratur Zachariæ 5. capite. Quum enim in prioribus capitibus uarie & lu-  
culenter deumbretur ædificatio ecclesiæ: in se-  
quenti,

quentibus indicantur ea, quæ illi maxime in-  
commoden. Inter quæ primo loco doctrinæ  
atque traditiones hominum præcipientes de re-  
bus diuinis, ponuntur: que plurimum officiū  
ecclesiæ, quippe quæ obscurant & peruerunt,  
abdentꝝ uerbum Dei, quo solo pietas synce-  
rè traditur. Vedit enim sanctissimus propheta,  
volumen uolans. Quum enim Dei uerbum  
stabile & æternum sit, humana figmenta subin-  
de mutantur. Vnde Paulus uocat uentos do-  
ctrinarū: & traditionum nuguendos, aposto-  
lus Iudas uocat planetas, & nubibus similes o-  
stendit. Dominus autem constantissimum do-  
ctorem ueritatis Ioannem baptistam negat simi-  
lem esse arundini, quæ leui momento huc & il-  
lic impellatur. Eius uero longitudo & latitudo  
est, quanta fuit duorum cherubim, obumbran-  
tium arcam & propitiatorium. Occupare enim  
satagit humana doctrina sedem maiestatis diui-  
næ in mentibus & in ecclesia cultorum Dei, si-  
biꝝ uendicare, quod soli Christo sempiterno  
propiciatorio, & arcæ foederis impositum est.  
Ac propterea nominatur maledictio, quæ egre-  
dit super faciem omnis terræ. Ut enim doctri-  
na uerbi diuini omnigenam benedictionem  
suppeditat pijs auscultatoribus: ita peruersa do-  
ctrina, ueluti Pandoræ dolium, effudit, quic-  
Z 3 quid

quid olim fuit inter Iudeos mali, quum pseu-  
doprophetarum culpa pertraherentur in ca-  
ptiuitatem Babyloniam: & quicquid mali ho-  
die est in perdita gente, quæ thalmudicis fi-  
gmentis detinetur in ira Dei: quicquid inter  
Turcas, & Tartaros, Saracenosq; malorum  
peruagatur: quicquid denique malorum in  
orbem Christianum aliquot iam seculis re-  
dundauit, odia, inimicitiae, hostilitates, bel-  
la, cædes, uastitates regionum, & alia innu-  
mera, id uniuersum ex traditionibus huma-  
nis, quæ pugnant cum uerbo Dei, scaturit.  
Ut autem doctrinæ impiæ hominum iu-  
dicari & caueri possint, duobus exemplis pro-  
positis, earum specimen exhibetur. Nam ex  
illis absoluuntur fures, hoc est omnes qui res  
sui proximi sibi uendicant iniuste: & periuri,  
qui nomen Dei uanè usurpando, peccant in  
tertiam legem decalogi. Quis autem ignorat,  
absolui annuatim à poena & culpa, eos qui  
turpissimos quæstus sectantur, si quid dederint  
in carbonam, & redemerint indulgentias?  
Quis ignorat uota & iuramenta suffraganeis,  
sacerdotibus concubinarijs, & monachis remit-  
ti, per dispensationes papistici iuris? Quis igno-  
rat solui populos religione, & iuslurandum tol-  
li, quo principibus suis iure diuino sunt obstri-  
cti,

Eti, si magistratus Romanæ sedi non obtemperent: Quum igitur humanæ traditiones pugnant cum diuinis præscriptis, Dominus eas anathemate persequitur, & ejicit ex mentibus piorum, & consortio ecclesiæ. At quibus placent: apud quos homines reperiunt hospitium: Nempe ab ijs recipiuntur, quorum affectibus malis blandiuntur: ut qui rapere aliena iniustis rationibus student, nec uolunt desistere à peccatis, & facere quod Deo placitum est. Nam & meretrices atque publicani recipiunt doctrinam Christi: sed desinunt esse meretrices & peccatores, ut Maria & Zacchæus. At qui lucris iniustis inescati, ea deserere nolunt, quæ tamen ipsorum conscientia redarguit & damnat: per sacrificulos decretam sibi multam exoluentes, uolunt reconciliari Deo, & in peccatis perseuerantes, iustum poenam peccatorum effugere. Cæterum ubique admittuntur humanæ traditiones, quæ diuersam expiationem peccati tradunt, ab ea quam Dei uerbum ostendit, semper dant magnum malum, adeoque totas domos perdunt. Quapropter Dominus iubet cauere scribas, qui obambulant in stolis, & amant primas cathedras in synagogis, deuorantes interim domos uiduarum

uiduarum sub prætextu longæ precationis.

2.Tim.3. Et Paulus ait seductores proficere in peius, ut errant, & in errorem abducant, & captiuas ducent mulieres. Præterea Zacharias uidit Ephæ, quod genus est mensuræ: diciturque oculus eorum in uniuersa terra. Præfixus est enim terminus impostaři doctrinæ, ultra quem Deus non sinit progredi: ut tandem insipientia deceptorum nota fiat omnibus, sicut stultitia Iamnis & Mambris innotuit, qui restiterunt Moſi. Iam in mensura sedet mulier, & aufertur in Ephi, quo adumbrantur homines, qui falsis doctrinis hominum & dæmonis capiuntur: ueluti mulieres oneratæ peccatis, quæ semper discunt, & nunquam ad solidam scientiam perueniunt: nec non uiri ritu muliercularum superstiosi, & stolidè creduli. Appendit etiam talentum plumbi, quod uolumen & adnexa mensuram deprimit, quoque uelut obice in Ephi concluditur impietas: ne pertingat eò, quo cipiunt impostores prouehere. Atque illud onus maledictum uolatilis uoluminis, & turbæ infelicis quæ id sequitur, duæ mulieres, puta Hypocrisis, Circe quædam & mirifica præstigiatrix, & malesuada Cupiditas pecuniarum, honoris, potentiae, uoluptatum, sublime ferunt, ut neque terram attingat, neque coelum. Nam in commenticia doctrina, & uita, quæ ex

ex prescriptis hominum pugnantibus cum uerbo Dei transigitur, neq; solidam pietatem, neq; ueram prudentiam in rebus humanis conspicias. Vehitur autem extra fines ecclesiæ in terrâ Sennar, in qua Babylon sita est, pertinax æmula ciuitatis Dei. sonatq; Sennar excusione, aut con cussionem dentium. Tendunt enim peruersæ traditiones hominum, & stolidi sectatores in tenebras extremas, in quibus sempiternus est fletus, & stridor dentium. A quo malo seruet nos misericordia Domini Dei nostri.

Præterea liber hic diuinissimus in ecclesia Christi usum præbet amissis & normæ, ad quam exi gantur omnes politiæ, religiones, leges, edicta, doctrinæ, non quidem si fictis commentationibus uiolenter torqueatur, ueluti Lesbia regula: uerum si rectam seruemus, qualem tradidit su premus architectus in domo Dei, atq; idem fundamentum, & lapis angularis, quo continentur parietes spiritualis ædificij. de quo Amos pro pheta & Iacobus apostolus loquuntur: Posthæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc. Notum à seculo est Domino opus suum. Etenim, quæcunq; democratia, aut aristocratia, aut mo narchia

*Apocalypsis norma iudicandi.*

*Amos 9.  
Act. 15.*

narchia paret Christo regi regum, & Domino dominantium, eiusq; legibus sanctissimis regit, iure habebitur politia Christiana. Quæ uero leges Christi respuit, siue titulu gerat Christianu, siue aperte oppugnet nomen Christi, antichristianam censemus. Et imperiu quidē Machometicū omnes fatentur haudquaç Christianū esse, quia Machometis legib. & nō Christi placitis regitur. Atqui Christus nullam rem pub. agnoscit pro sua ex sola iactatiōe, eaç uana Christianæ professionis, quæ ipsum nō agnoscit uerum et supremū principem. Sed ea demū resp. Christiana erit, & Deo chara, & proinde felix et beata, siue regatur ab uno principe, siue ab optimatib. siue potestate populi, cuius magistratus se agnoscit beneficiarum Christi, unicū monarchæ totius orbis, cuius legibus iure obediāt: populusq; uitā ex doctrina Christiana instituit, animoq; prompto magistratui obtēperat, nō tanq; hominibus, sed tanq; Christo seruēs, in omnibus quæ legibus Christi nō repugnant. Alioqui resp. antichristianæ haberī debent, & infelices, etiam si ad tempus florere uideant, in quibus tum magistratus, tum populus, tum instituta omnia repugnant institutis Christi regis supremi, & max. atq; sanctiss. pontificis. Quēadmodū Israēlitas cōtemnentes leges diuinas, nō magis pro suo populo agnoscit Dominus exercituum, quam Aethiopes, & quamlibet barba-

ram nationem. Sic enim ait per Amos propheta: Ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonū. Et mox: Nunquid non ut filij Aethiopum, uos estis mihi, filij Israël, ait Dominus: Nunquid non Israël ascendere feci de terra Aegypti, & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene? Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. Quis autem lecta Apocalypsi, non statim animaduertit Latinum clauigerum frustra gestare duas claves, ceu ei promissa & credita sit uniuersa procuratio domus Dei: quū Dominus Christus dicat, Ego sum primus & nouissimus, & Apoc. 1. fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni? Etrursum Apoc. 3. in epistola ad ecclesiā Philadelphiā: Hæc dicit sanctus & uerus, q̄ habet clavē Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Iam in dogmatib. censendis protinus intelligit falsa esse opinio illorū, qui simulachra putat habere usum aliquē in docenda & colenda religione Christiana, quādoquidē Christus pñūciat id. Apoc. 21. Idolatriæ æque ac ueneficis partem fore in stagno ardenti igne ac sulphure: quæ est mors secunda.

Postremò diuina reuelatio Domini Iesu diploma est regium & pontificale, non Romæ datum, sed in coelesti Hierusalē: neq̄ missum à se de Rom. sed à throno diuinæ maiestatis: neque

Aa 2 signatum

*Apocalypsis est diploma ecclie.*

signatum sub annulo p̄fscatoris, sed sub potentí  
manu Dei omnipotentis; nec̄ scriptum à nota-  
rio uænalis curiæ, sed à Ioanne apostolo, & epi-  
scopo Ephesino, & cognato Messiaæ, archigrā-  
mateo & supremo cācellario regni & pōtifica-  
tus Christiani, in Patmo insula, ueluti sanctua-  
rio & tablino communi Asiæ, Aphricæ, & Eu-  
ropæ: neq; ex decreto aut iussu Romaniponti-  
ficiis scriptum est, neq; approbatum à pharisaï-  
co senatu purpuratae Romæ: sed iussu Dei cœ-  
lorum & terræ, qui reuelat arcana, scriptum ap-  
probationem habet cœlestis hierarchiæ, & scri-  
ptorum instrumēti authentici tam ueteris q; no-  
ui, hominumq; sapientiæ, & historiarū specta-  
tioris fidei. In quo quidem sacro sancto instru-  
mento regni & pontificij & imperij Christi, cō-  
tinetur summatim ordinatio totius Reipub. ci-  
vium ordines, leges, priuilegia, uectigalia, dona-  
tiones, sacra & ceremoniæ, thesauri & opes im-  
mensæ multiformis gratiæ Dei: ad hęc insignia,  
arma, hostes: quæcunq; deniq; ad incolu-  
tem populi Dei spectant, hoc instrumento insi-  
tuuntur & confirmantur. Ac rursus, quæcunq;  
dolo malo, aut minis & terroribus, aut uiolen-  
tia ecclesiæ Dei obtrusa & imposta sunt à prin-  
cipe tenebrarum, eiusq; cōmissario antichristo,  
& istorū coniuratoribus tyrannis, in hoc sacro  
diplomate autoritate regia, & imperatoria, &  
pontificia,

pontifica, & diuina Domini & Dei nostri Iesu Christi abrogantur, derogantur, rescinduntur, irrita redduntur, & plane cassantur et annihilantur. Quum igitur formula iuris iurandi, quæ ponitur distincte. 63. cuius principium est, Tibi domino Ioanni papæ, &c. qua obligatos esse Germ. reges ad exaltationem & omne obsequium ecclesiæ Romanæ, papistæ asseuerant, uerbo diuino, & gloriæ Christi, & incolumentati ecclesiæ ex diametro repugnet, autoritate diuina & uigore huius sacrosancti diplomatis, uelut magicus circuitus, quo nimis diu circumscripti fuerunt imperatores Germ. rescinditur. Acregnū, qđ Francis Germanis pontifex Rom. nō autoritate apostolica, sed maxima iniuria & perfidia iniustissimè rapuit, tam diu tanta calamitate generis humani & in primis ecclesiæ Christi tenuit, per autoritatem diuinam Christi iustissimo titulo Germanis transribitur. Ut reges catholici, & principes illustrissimi, & clariss. urbium ornatissimi consules & senatores, cum populis suæ fidei à Christo concreditis, salua conscientia dicere possint: Laqueus quem Dalila Babylonica incautis iniecerat, contritus est, & nos liberati sumus beneficio Christi, ut seruiamus regi & pontifici opt. max. & seruatori ac Deo nostro, in sanctitate & iustitia omnibus diebus uitæ nostræ. Quū ergo unius diuini scripti usus tam late patet,

teat, ut erudire possit homines studiosos, que sa-  
ta maneant ecclesiam catholicam, & unūquenç  
filium matris illius uenerandæ, iudiciumque infor-  
met de præsentibus temporibus, & præteriorū  
refricet memoriam, exhibeatque formā reip. & to-  
tius Christianismi, tam absolutā & perfectā ab  
omni parte, ut refellat, & redarguat falsa, inuti-  
lia, superuacua, & procul ab ecclesiæ finib. pro-  
scribat uolatilia uolumina quodlibeti Papistici,  
& Machumetici alcorani, et Iudaici thalmud,  
quæ dolo malo ueteratoris serpentis, & homi-  
num corrupti animi in orbē inuecta sunt, ut reli-  
gionem & uitam totam hominum gubernent,  
imò peruertant: qua fronte audent ~~deosyās~~ ui-  
tuperones diuinarū literarū dicere, in libris 41.  
& pluribus etiam, codicis authenticī, non conti-  
neri absolutam doctrinam pie sancte beatæque ui-  
uendi publicē atque priuatim: Quorum calum-  
nias blasphemias postque prolixè confutauī (nam  
res & tempora illud postulare uisa sunt) & do-  
cui copiose, diuinam scripturam ingenio & na-  
tura sua claram & perspicuam esse, certam et ex-  
ploratae fidei esse, quæ supremam autoritatē ha-  
beat ex sese et ex Deo, qui sanctis scriptoribus, eam  
inspirauit, qui literis eam mandarent, ad erudi-  
tionem omnium qui cognoscere cupiunt uer-  
tatem salutiferam, & Dei uoluntatē, id quod ab  
eis plenissimè præstū est: spero me demōstrasse  
abun-

abundē, qđ inscriptio institutæ relationis pollicet, à solo uerbo filioq; Dei petendā esse cognitionem exactam temporū, et in primis negotiorum antichristi, rationemq; optimam instituendi uitam & remp. Christianā. Suntq; nobis termini positi (ut ait Epiphanius redarguens Melchisedekianos, qui putabant Melchisedek uirtutem quandam supremā etiam Christo excellen- tiorem, quia nomina parentum eius nō sunt in scripturis expressa) et fundamēta, & ædificatio, & apostolorū traditiones, & scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & undiquaq; ueritas Dei munita est: ut nemo decipiat nouis fabulis.

D E S C R I P T I O P E R S O -  
næ Christi et Messiae principis opt. max.

Christianorum, et totius orbis.

V Erū ut euidentissimē perspici possit, Christianos suū nomē haudquaq; tueri, sed de generare in antichristianos, nec diutius trāquila et felici rep. frui posse, nisi à Christo filio uerboq; Dei incarnato regant: adiçiā auctarij uice breuē descriptionē Christi, & uicarij Christi et pseudochristi, ut per collationē demonstratiuā uiterq; princeps clarius agnoscat. Nomē enim Christianū non à loco aut gēte aliqua deriuatū est, ut Romanus, aut Italus, aut Germanus, aut Europaeus & Asianus & Aphricanus dicunt,

sed à

sed à Christo autore populi Christiani deductū  
 nomen est professionis & sectæ, ut Tertulliani  
 uerbo utar, & possessionis cuiusdā. Nam An-  
 tiochiae institutum est à sanctissimis uiris, ut di-  
 scipuli & sectatores Christi, Christiani appella-  
 rentur, quemadmodum in Actis apostolorum  
 legimus. Utq̄ serui et religiosi cultores ueri Dei  
 θεοῦ Ιησοῦ Messia in, à Messia & uncto Dñi uo-  
 cati sunt Psalm. 104. ubi de Abrahā, Isaac, Jacob,  
 & alijs sanctissimis patriarchis dicit, Nolite tan-  
 gere Christos meos, & in prophetis meis nolite  
 malignari: ita post aduentum filij Dei in carnē,  
 qui serui, & fratres, & discipuli Christi, & dome-  
 stici, & filij passim dicuntur in historia euangeli-  
 ca: quiq̄ Iessei, & Nazarei, & Galilæi aliquādiū  
 appellati sunt, amplissimo nomine Christiano-  
 rum à spiritu sancto insigniti & decorati sunt.  
 Cui demum respondent, non qui ex Christia-  
 nis parentib. nati sunt, aut tinterti sancto lauacro  
 in nomen patris & filij & spiritus sancti: sed qui  
 præterea oleo sacro gratiæ diuinæ à Iesu ponti-  
 fice max. delibuti, eiusdem spiritu aguntur, &  
 tanquam membra uniuntur inter se, & cum  
 Christo capite, qui sanctus sanctorum, ecclē-  
 siam catholicam & communionem sanctorum  
 & constituit, & perficit. Utq̄ ueri discipuli &  
 cultores Christi, atq̄ adeò fratres ipsius, & per  
 ipsum filij & hæredes Dei, Christum comple-  
 ctuntur

Etuntur & possident: ita uicissim ab ipso possidentur, ut Christus uiuat in illis, ipsi uiuant in Christo. Nec modo corde credunt, uerum etiam quod animo suo diuinitus persuasum est, ore liberrimaꝝ uoce profitentur, Iesum Nazarenū esse Christum & Messiam benedictum in secula. Quo pronunciato uerbis angusto, rebus autem amplissimo, explicatur nomen illud excellens, quod unum datum est hominibus sub cœlo, in quo nos oportet saluos fieri, in quo prædicari oportet usque ad mundi finem poenitentiam & remissionem peccatorū: quod nomē superat uniuersa nomina, in quo flectuntur omnia genua cœlestium terrestrium & inferorum. Eoꝝ pronunciato Paulus terminat uniuersam scientiam rerum diuinarum, & pietatis, inquiens: se nihil scire, quam Iesum Christum, & eum quidem crucifixum. Ea etiam nota certissima Ioannes apostolus docet discerne-re Christianos ab antichristis, et spiritus à Deo profectos à spiritibus impostoribus. Ait enim: Omnis spiritus qui cōfitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex Deo nō est, & hic est antichristus. Nec sine prouidentia Dei singulari factū putamus, ut Pontius Pilatus, qui nomine imperatoris Tiberij Syriam administrauit, homo ferox, & re-

Acto. 4.

Luc. 24.

Phil. 2.

1. Cor. 2.

1. Ioann. 4.

B b rum

rum sacrarū usq; adeò imperitus, ut ne nomen  
 quidē ueritatis intelligeret, impulsu tamē cœle-  
 sti trib, linguis præstantissimis causam mortis  
 Christi, & titulu pulcherrimum affigeret cruci,  
 quod̄ Iesu Nazarenus sit ille rex Iudæorum, &  
 Messias expectatus ab exordio mudi usq; ad il-  
 lud tēpus. Dumq; discipuli dilapsi metu latitat̄,  
 uno Ioanne excepto, & Iudæi perfidi pendentib  
 in cruce tanq; uicto insultat̄: præses Syriæ, q; mo  
 do iniusti iudicis munere functus, sententiā capi  
 talē in reū sanctissimū tulerat, iā elogio amplissi-  
 mo cruci affixū ornat, indignantib. & furentib.  
 Iudæis, tituloq; uerissimo imperiū Rom. & mo  
 narchiā totius orbis transcribit illi, qui pro salu-  
 te uniuersi mudi mortē ignominiosam obibat,  
 & sui corporis & sanguinis hostia summus pon-  
 tifex omniū peccata expiabat uno die, unoq; sa-  
 crificio, & rex inuictissimus moriendo cōterebat  
 caput serpētis, iuxta primū euangeliū, qd̄ Deus  
 Adæ et Euæ protoplastis prædicauit, imperiūq;  
 totū satanę et peccati et mortis destruebat, deo-  
 que patri factus obediens usq; ad mortē crucis,  
 maximo suo merito inaugurabatur gubernationi  
 uniuersorū, ut primatū in omnib. teneat.  
 Quamobrē ad fugandos cacodæmones, & re-  
 darguendos, conuincendos, iugulandos, confi-  
 ciendos, repellendosq; antichristos, nihil est effi-  
 cacious, q; titulus salutiferæ crucis Christi: quo  
 sum

Gen. 3.

matim continent quæcunque credere & confiteri secundum scripturas diuinæ de Iesu Christo necessarium est ad uitam beatam. Ex quibus ea duntur taxat hic perstringemus, que ad descriptionem personæ Christi maximè pertinent: omissis non minibus plurimis, ut leo & agnus, ut panis, manna, cibus, ut lux, uia, ostium, ut petra & lapis dicuntur. Christus igitur, ut prisci uates praecinuerunt, & diuina historia exhibitus esse testatur, est uerus homo conceptus ex spiritu sancto, natus ex Maria uirgine de stirpe Dauidis regis. Qui post multas iniurias & contumelias, & infinitos labores, quos cum docendo, tum conserendo alia beneficia pertulit, sub preside Romano crucifixus, mortuus, & honorifice sepultus est, resurrexitque die tertia, & rediuiuit se testatus multis argumentis, ascendit in celos, & sededit in dextera Dei patris omnipotentis. Idem uerus Deus est, & filius quidem unigenitus Dei uiui, per omnia Deo patri & spiritui sancto æqualis. Idem fundamentum est ecclesiæ, praeter quod nemo potest aliud ponere: siquidem fundamentum est quod posuerunt prophetæ & apostoli, immo Deus per seruos suos fidissimos: estque lapis angularis, & caput ecclesiæ catholicæ unicum, ut docet apostolus Petrus Actorum 4. capite, ex Psalm. 117. & Paulus doctor gentium, epistola priori ad Corinthios, capite undecimo & duodecimo.

nec non in epistolis ad Ephesios, & Colosenses, id non semel testatur, Christum esse caput ecclesiae. Idem pastor bonus est, qui posuit animam pro suis ouibus: & pastor atque episcopus animalium: & princeps pastorum, ut testatur Petrus in epistola catholica priori capite secundo & quinto, & unicus pastor ecclesiæ uniuersae, quæ constat ex Iudeis et gentibus, ut clarissime docet Ezechiel cap. 34. & 37. Idem magni consilij angelus est, & supremus adeoque unicus magister ecclesiæ, & maximus propheta, & Deus atque dominus prophetarum, & sponsus legitimus ecclesiæ sacrosanctæ. Idem sacerdos æternus est, & summus, maximus, optimus, solus sanctissimus, solus beatissimus pontifex, princeps pacis, & pater æternus ecclesiæ catholicæ. Idem rex & seruator est, qui regnet in domo David, & regnet in æternum, & regnet dum seculum hoc durat à mari ad mare, & possessio ipsius extendetur usque ad fines terræ. Cuius imperium est super humerum ipsius, & non reicit gubernationem suæ monarchiæ in humeros mortalis & friuoli homuncionis: ut poetæ fabulantur, Atlantem onus aliquando cœli transtulisse in humeros Herculis. Estque Christus fidelis Eliacim, cui Deus pater credidit, & super humerum eius dedit clauem domus David, eumque fixit in loco fidei, ut sit in solium gloriæ

gloriæ domui patris sui. Idem iudex supremus est, cui pater dedit omnem potestatem, et omne iudicium, ipse neminē iudicās. Idem lator legū est, & interpres optimus, & custos fidelissimus. Cuius legem insulæ expectarunt, & quod expectarunt acceperunt. De cuius legibus, quædam huc transcribere ex libro nono Theodoriti, operis cui titulum fecit, De curandis Græcorum affectionibus, non alienum erit à proposito. Sic enim scribit episcopus ille doctissimus Cyropolitanus: Nostrī illi pīscatores & publicani, sutorq; ille noster cunctis nationibus legem euangelicam detulerunt. Nec solum Romanos, quiq; sub Romano uiuunt imperio, sed Scythes quoque & Sauromatas, Indos præterea, Aethiopes, Persas, Seres, Hyrcanos, Britannos, Cimerios & Germanos, utq; semel dicatur, omne hominū genus, nationesq; omnes induxerunt crucifixi leges accipere, non armis usi, non infinita ui militum delectorum, non immanitatis Persicæ uiolentia, sed uerborum suasu, ostensa legum, quas prædicabant, utilitate. Et postea: Leges quas nostri pīscatores & publicani, & quas sutor tentiorū (Paulū significat) tulerunt, ac promulgarunt, non Caius, non Claudius dissoluere potuerunt, nec qui eis successit Nero. Hic enim tametsi duos optimos latores legum sua immanitate prostrauit,

Petrū nanc̄ & Paulum interfici iussit: attamen leges quas illi promulgarunt, minimē sustulit. Non deniq̄ Vespasianus, non Titus, non Domitianus: quanquam multis & varijs machinationibus eas oppugnare cōtenderit. Multos enim de medio sustulit, omne tormentorū genus intendens contra eos, qui se legibus illis addixerūt. Hactenus ille. Et Christus quidem rex & imperator, & pontifex max. non collocauit in terrestri Hierusalem, aut Romæ, aut Constantinopoli cathedram suā pontificiam, & solium regium: sed in coelesti Hierusalem, in coelesti palatio, in coelesti regia, in coelesti templo.

Aet. 3. Nam oportet Iesum Christū suscipere cœlum, usq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum prophetarū à seculo. Atq; in cœlo sedens ad dexteram Deipatris omnipotentis, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos, corpore absens spiritu & numine præsentissimus est ecclesiæ, & omnibus seruis & membris suis. Omniaq; inspicit, omnia exaudit, omnia prouidet, omnia gubernat cum patre & spiritu sancto, Christus Iesus perfectus homo, & perfectus Deus, omniscius, omnipotēs, infinitæ bonitatis. Atq; hæc uniuersa in una persona Christi unici mediatoris Dei & hominū ita cōtinentur, & nodo indissolubili iuncta & connexa sunt, ut qui conatur unum ex illis

illis Christo adimere, conetur Christū soluere.  
Quam esse notā certissimā spiritus antichristi,  
Ioannes apostolus, & dilectiss. discipulus Do-  
mini docet in prima sua catholica epistola. Eoq;  
crimine antichristianismi & summi sacrilegij te-  
nentur omnes hæresiarchæ, & eorū sectatores  
pertinaces, qui schismate impio in primis Chri-  
stum diuellere conati sunt: quod nullo modo  
potest fieri. Vnus enim Christus, unus Deus,  
unus mediator Deus & homo est in secula secu-  
lorum. At quo loco illum habebimus: aut quo  
titulo faciemus insignem: aut quod nomen ei  
competit, qui uerbo quidem Christo concedit,  
quæcunq; ad personam Messiae pertinēt, rebus  
aut sibi omnia uenidicat et arrogat falsis persua-  
sionibus, et aperta ui, ut agnoscat uerus Chri-  
sti uicarius, & caput ecclesiæ catholicæ in terris:  
qui parē habeat cum Christo potestatē, quam  
ipse Dominus habuit, cum uersaret in terra: ut  
sit pater sanctiss. & beatiss. & summus ponti-  
fex, & lator legū, quibus parere sit de necessitate  
salutis: & supremus iudex, cuius arbitrio cau-  
sæ maximæ terminari debeant, ipse à nullis ho-  
minibus iudicari possit: & monarcha totius or-  
bis, quem uenerentur, cui obedient, quem a-  
dorent magistratus politici, & ecclesiarum re-  
ctores, principes, reges, imperatores: Quibus  
autem poenis & supplicijs, quam crudelibus,  
quam

quam exquisitis persequatur magistratus, & priuatos homines, qui ei non deferunt quantum cupid, & quantum vir bonus & sapiens & obseruans doctrinæ Christianæ deferre homini peccatori nec uult, nec potest salua conscientia, me tacente, nouit tota Roma, Italia, Germania, Gallia, Europa, orbis habitatus. Eum ne patrem sanctissimum & beatissimum appellem, qui omnem tyrannidem Siculorum, Aegyptiorum, Assyriorum, Scythicorum tyrannorum longe superat: Christi seruum, & apostolicum, & catholicum dicam, qui cum institutis Christi ex diametro pugnat: Christi uicarium & caput ecclesiæ habeam, caput ex sceleribus & impietate & immanitate concretum, & belluam truculentissimam: Antichristum & pseudochristum esse pronunciem: Non faciam, nisi prius clarissime ostendero, & breui quidem sermone in præsencia, dum uacet hæc uberius demonstrare, pontificem Rom. etymologiæ & definitioni antichristi per omnes partes respondere, & puncta & numeros omnes antichristi auferre tam exacte, ut ouium non sit uno similius, nec capum filij apibus, neq; cicada cicadæ, nec locusta locustæ, quam Romanus pontifex iam annos plus 700. congruit descriptioni supremi & maximi antichristi: quæ summopere cauendū esse, Christus princeps noster opt. max. in tempore, & clare in

in prophetis, & apostolis, & sua reuelatione  
præmonuit, nisi prorsus mens cæca fuisset.

## AESTIMATIO VICARII *Christi & antichristi.*

**Q**uidigitur cupiunt: quid postulant: quid contendunt: quid petunt: qui armis, & ingenio, & stilo papisticam monarchiam tam pertinaciter & improbè afferunt & vindicant: An ut sanctè uiuatur, & religio Christiana, que in diuinis literis traditur, uigeat: Sed reddant testimonium ciues Romani, & omnis qui curiam Romanam inspexerunt, an uspiam uiuant sceleratus. Obtestor etiam omnium oppidorum incolas, ut libere pronuncient, an in sua ciuitate sit aliquid corruptius, quam papistici sa crificuli. Testentur quicunq; templo Romana, & ritus atq; ceremonias uiderūt, qui sanctiones papisticas legerunt, & contrà didicerūt apostolicam traditionem in literis Petri & Pauli, quiq; uitam sanctissimorum apostolorū cognouerūt ex historia Lucæ, an non deflexerint omnia in superstitionē & impietatem. ut qui hodie Romanam ecclesiam, hoc est, ut ipsi scribunt, exemplar & speculum ecclesiæ catholicæ, inspexerit, nihil minus agnoscat, quam à diuino Paulo tan topore laudatam ecclesiam: sæpiusq; ingemiscere et proclaimare cogatur: O domus antiqua, q;

Cc à dispari

à dispari domino dominaris. An petunt, ut ecclesiæ, quæ multæ sunt in urbe Romana, pro ecclesijs orthodoxis & catholicis habeantur? Id quidem nullo negotio impetrabunt ab omnibus ppijs & cordatis hominibus, si ad prescripta Pauli & Petri & Christi fuerint ecclesiæ Romanæ institutæ. An ut episcopus ecclesiæ Lateranæ, aut apostolorum Petri & Pauli numeretur inter episcopos orthodoxos & catholicos, flagitant? Id quoq; libentissimè concedimus, si episcopus ecclesiæ Lateranæ, aut qui uis alius compositus & formatus est ad exemplū, quod Paulus proponit in literis apostolicis ad Timotheum & Titū episcopos catholicos & orthodoxos: si exequitur mandatum Domini, quod apostolis omnibus & apostolorum successoribus dedit, inquiens: Docete omnes gentes, seruare omnia, quæcunq; mandaui uobis. quodq; Petro dat in mādatis, inquiēs: Petre si amas me, pasce oves meas: & nō dicit ei, Rigidè imperita, insurge in reges & populos & nationes, excita bella & cædes & latrocinia & incēdia, deglube, iugula, macta, per de oves meas, pro quibus dedi animā mēam in mortē crucis, ut eriperē æternæ morti & satanicæ tyrannidi. Non id quæritur, ô principes Christiani, & populi Christo sacrati. Sed illud postulant monarchiæ papisticæ chrysalpides & argyralpides propugnatores,

ut

ut ecclesia Romana sit princeps & caput omnium ecclesiarum: & pontifex Rom. non sit vulgaris episcopus, & parvis potestatis cum alijs omnibus, qui uestibus Christi fideliter pascunt gregem suam fidei creditum: sed pontifex summus & maximus sacerdos sacerdotum, pastor pastorum, episcopus episcoporum, eximie apostolicus & catholicus, uicarius Christi, caput ecclesiae, cui ius & potestas sit proferre nouas sanctiones ex scrinio pectoris sui, qui quicquid possit mutare tempora & leges, qui omnem potestatem Christi a Christo sibi traditam legitimè exerceat: cui subesse & obtemperare sit de necessitate salutis. Ea uero ne concedamus, quae iniquissime a papisticis & Romanensibus petuntur, prohibet ueritas, prohibet gloria Christi regis et pontificis nostri, prohibet incolunitas & salus ecclesiarum, iubetque religio ut in ea contentione fortunas, corpus, uitam, sanguinem, animam potius, & omnia quae hominibus charissima esse solent, deponamus, quod ut deseramus partes Christi seruatoris. Quid enim ipsis nomine uicarij significat? Aut qualem datur nobis Christi uicarij? An non uicarius eius significat, qui uices alterius & partes gerit, ut qui successit in demortui locum, aut certe absentis, aut qui munus obit alterius non ut collega, sed ut successor, altero iam cessante in eodem munere. Quem admodum eloquij Latini opt. autor Tullius ait:

C c 2 Quibus

Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ uicaria fides amicorum supponitur. Et pro Sylla: An hoc regnum appellabitur, cuius uicarium qui uelut esse, inuenire nemo potest? Loquitur autem de uacuo regno, in quo d' alius pro rege succedat. Et Columella de re rustica: Qui me absente, inquit, in meum locum substituitur, & uicarius meæ diligentiaæ succedit, is ea, quæ ego, scire debet. Tertullianus quoque dicit, Christum corpore absentem dedisse uicariam uim spiritus sancti. Quo pacto autem Romanus pontifex obit uices Iesu Christi? An uelut demortui? Atqui non modo impium, uerum etiam stultum foret illud dicere, aut saltem cogitare inter Christianos. Christus enim semel mortuus est, & mors illi amplius nō dominabitur. An quia in celos ascendens è functione regia & sacerdotali decesserit, & Petrum successorem atq; uicarium regni & sacerdotij summiserit, ac post Petrum deinceps alios atque alios episcopos ecclesiæ Romanæ? Atqui Iesus in terris agens, neq; Romæ neque Antiochiae episcopus aut rex fuit; sed Hierosolymis sacramenta instituit, & legatos designauit, qui penitentiam & remissionem peccatorum in suo nomine prædicarent, suaq; præcepta & leges, non humana commenta docerent omnes gentes, eumq; morem transmittenterent ad posteros.

posteros. Ac tandem ut summus & æternus poni-  
tis ex in cruce tanquam in altari holocaustorum  
corpus suum Deo patri obtulit, victimam ca-  
tholicam pro peccato totius mundi; & per ue-  
lum corporis cum sanguine proprio semel in-  
gressus est sancta sanctorum in sedem maiesta-  
tis diuinæ, inuenta æterna redēptione. Mini-  
mè igitur corporerelinquēs terras, et ascendēs  
in cœlum Christus, regiā & pontificiam digni-  
tatem atq; functionem depositus, sed plenius &  
perfectius accepit, ipsius etiam testimonio. Ait  
enim: Oportuit Christum pati, & ita intrare in  
gloriam suam. Quod passim etiam testantur sa-  
cra scripta utriusq; testamenti. Hesychius quoq;  
in commentarijs Leuitici secundo cap. inquit:  
Christus appropinquauit altari in cœlis, carne  
per ascensionem. nunquam enim separatur à di-  
uinitate. Ac in coelos ascendens Christus ut ad-  
impleret omnia, nullum ex discipulis instituit ui-  
carium, sed dedit quosdam apostolos, quosdā  
prophetas, alios euangelistas, alios pastores &  
doctores ad consummationē sanctorū in opus  
ministerij, in ædificationem corporis Christi;  
ut ueritatem facientes crescamus in illo per om-  
nia, qui est caput Christus. Idem dat gubernationes  
et politicos magistratus, reges, duces, cō-  
sules, & alios, ut ordines cuiusq; reipublice insti-  
tuti sunt. Utq; diuinus Paulus magistratus po-

Heb. 9.

Ephes. 4.  
1. Cor. 32.

litos omnes appellat ministros iusticiæ, ita eccliarū præsides uniuersos haberi uult, p ministris, per quorū præconiū fideles credunt, neq; nominat uicarios Christi, sed *owijyrs* & cooperarios Dei. Magna etiam seueritate castigat Do minus ambitionē discipulorū, dum cōtendunt, quis inter eos sit maximus. Quin diuus Hieronymus ministerio & potestate pares ostēdit episcopum Romę, & episcopū Eugubij, aut cuius cunque oppidi. Et Augustinus in cōmentario Psal. 45. alludēs ad legem, quæ iubet fratrem ex fratri uxore liberos suscipere, ait, Mortuus est Christus, resurrexit, ascendit in coelos, absentauit se corpore. Suscepérūt fratres eius uxorem eius, prædicatione euangeli generaturi, lios. Sed omissa disputatione de ministerio ecclesiastico, & politica gubernatione, uicariatū Christi duntaxat consideremus. Si enim Christo uicarium dare placet, oportet prius docere, quod Iesus Nazarenus desierit esse Christus, nec uelit aut nō possit amplius fungi munere summi pontificis & regis catholici, postquā ascendit in gloriam patris coelestis, aut quod nominauerit aliquem suū uicarium, aut quod homo tot malis obnoxius possit gerere personam Christi ueri Dei & ueri hominis, & exequi tam uaria, tam ardua, tam infinita negotia, quæ unus Christus in cœlo, & in terra tot seculis tam dextrè & pulchre

chrē obit, ut nemo uere pius et Christianus officium Christi aliqua in re desideret, aut postulet eidari uicarium. Quorū nihil demonstrare possunt monarchiae Papisticæ uindices, qui ecclesiæ supposititium caput, & Iesu Christo uicariū substituere nequicquam machinantur. Qui ergo se esse uicarium Christi gloriatur, & iactitat munera & potestatem Messiæ, suo se gladio iugulat, & clarissima uoce confitetur, quod sit ipsissimus antichristus, caput impietatis, & omnium scelerum, quis simulans amicum Christi et ecclesie, infensissimum et perniciosissimum agit hostem. Græcæ enim uocis etymologia sonat æmulū Christi, qui Christū simulat, & æquare contendit: illi aut̄ contrarius est per omnia, utq̄ Paulus loquitur, ἀντίκαιος, & oppositus acie directa. Quemadmodū antitheos, Deo similem & Deo contrariū significat. Et antipapa sonat eum, qui papæ infestus est & contrarius, idq̄ sub titulo & nomine & imagine probati papæ:puta, qui sibi arripit autoritatē regendi ecclesiam Romanam, & disponēdi facultates illius. Pseudochristus autem sonat, fictum et simulatum & factitium Christum. sicuti Pseudophilippus & Pseudoperses in historijs nominant seditionis tyranni, q̄ Philippū & Persen ueros aliquādo reges Macedonū simulando & metiendo nomine, et genere, atq̄ alijs rebus, Macedonicum regnū affecta-

affectarunt, et adiuuantib. hominib. uel simpli  
 cioribus, quod ut technas istas intelligere possent,  
 uel perditis & dignis satellitibus, regnum Mace-  
 donicū arripuerunt. Cuiusmodi antichristi &  
 pseudochristi multi fueruntolim, ut Dominus  
 præmonuit, & Ioannes in epistola sua prima, &  
 erunt plurimi ubique gentium usque ad mun-  
 di finem. Talis enim fuit Herodes, quem Iudei  
 Herodiani, ut Messiam amplexi sunt. Tales fue-  
 runt, Theodas, & Iudas Galilæus, et Ægyptius  
 iste latro, cuius mentio fit in Actis apostolorū:  
 & uiterq; Barcozba, qui titulo & ficto nomine  
 Messiae, tyrannidem affectarunt, & se atq; se-  
 tores suos misere perdiderunt. Tales fuerūt Sy-  
 mon Samarita, et Mōtanus, Nicolaitæ, Arius,  
 Nestorius, Machumet, omnesq; hæresiarchæ  
 & tyranni, qui doctrinam Christi et instituta op-  
 pugnant quibuscumque uījs & rationibus. Sed  
 inter omnes antichristos quidam excellit, qui  
 per metonymiam intelligitur significari, quo-  
 ties antichristi & pseudochristi nomen absolu-  
 tè ponitur: qui appositis alijs etiam uerbis, me-  
 rus, & magnus, et supremus, et maximus, et ul-  
 timus antichristus dicitur: qui multis uaticinij  
 prænunciatus est, quod maximè sit uastatorus  
 Christi regnū, ut in superiorib. copiosè demon-  
 stratū est. Quem Otho episcopus Frisingensis  
 lib. s. Chronicorū, ca. i. ad hūc modū describit:  
 Perse-

Persecutionem omniū grauissimā sub antichristo passura est ecclesia. qui ex hoc, quod Christum se mentiens, Christo per omnia uita & doctrina oppositus erit, antichristus, tanque contra Christo uocatur. Græci enim *avvni* cōtra dicunt. Et cap. 3. explicans rationē, cur in Apocalypsi pseudopropheta nominetur, ait: Ex hoc coni*sci*ci potest, ipsum per omnia in hypocrisi uenientē, non tormenta exteriora per se sanctis inferendo, sed signis mēdaciō & specie religionis, ac imagine rationis fraudulenter mundū decepturum, tormenta uero per potentē adhuc sibi adscitū sanctis intentaturū. Si qui uero unum eum potentem, utpote Romanū imperatorem ad hoc adscire cōtendunt, & hunc bestiā dictū, nō calumnior. Hæc Otho episcopus, nepos imperatoris Henrici quarti, cui Aeneas Sylvius præcipuā laudem ueritatis tribuit in historia. Cui definitioni si quis authenticā scripturā papisticę monarchiā cōponat, et uitas Rom. pontificum à morte Gregorij magni, usque in hunc diem, eorumque doctrinā, religionem, mores, dicta, facta, breuiter totā uitae rationem, is uidebit omnia inter se ad amissim quadrare. Quæ si n̄ ḡulatim repetere ac demonstrare longum foret, ac superuacuū, quum libri extent, et in manibus omnium uersentur, et res clamet, quales fuerint aliquot seculis Rom. pontifices, & eorum sectatores

Dd tores

tores pertinaces, & iuratiissimi fautores atq; adiutores. Tamen quia Dominus Christus iubet arborem iudicandā esse ex fructu, attingam pacula ex immenso pelago impietatis & perfidiae, fraudū, doli, imposture, latrociniorū, ueneficiorum, & immaniū scelerū, quorū magnā partem ne quidem nominibus extare cōueniebat inter Christianos: tantum abest, ut deceant Christi uicarios scilicet. In Stephani igitur secundi pontificis & ciuis Rom. manu, an nō dolus egregiē tractatus, & ut Daniel inquit, prosperatus est, qui Pipinum aulæ Francicæ maiorem soluit religione, ac docuit uiolare fidem, quam regi suo dederat, iuuantibusq; Folrado & Burcardo episcopo Virzburgensi, Hilderico, cuius frater & maiores aliter meriti erant de sede Romana, eripuit regnū, & Pipino tradidit, Hilderico in monasteriū uelut in carcerem detruso: An non miraculum egregiē factum, & merè antichristianum excogitauit, ut à beato Dionysio Parisijs morbo leuatus sit, intercedētibus Petro & Paulo, quo sibi reges & gentem Francorum in posterum faceret obnoxios: Quid turpius & sceleratus legi in illa historia: quid crudelius: quid immanius quam Hildebrandus: qui anno salutis 1073 cathedralm pestilentiae pessimis artibus concendit, & Gregorius septimus appellatus est; qui minis extorsit Romanis, ut iurarent

rent in sua uerba: qui uno tempore tres homines non confessos, neque conuictos, apud ecclesiam sancti Petri iussit in crucem adigere. Qui scripturas sacras uiolenter torsit in adiutorium falsitatis. Qui spiritu prophetico se ferijs paschalibus praedicere simulauit, Henricum imperatorem ante Pentecosten moriturū esse, quem insidijs & latrocinio perdere destinauerat, ut compertum fuit. Qui libros magicos sibi familiares semper secum circumtulit. Qui symbola corporis Dominici praesentibus cardinalibus, & reuocantibus, coniecit in ignem, responsa pertens contra imperatorem Henricum. Qui optimum & religiosissimum principem Henricum, tum alijs magnis & multis iniurijs & contumelijs affecit, tum anathemate præter morem hactenus consuetum, & præter meritum uiri percussit, & contra ipsum seditiones & bella commouit, ut ei sexagies bis, Christianis copijs contra Christianos pugnandū fuerit. Qui concitando imperatorem Grecum contra Turcas, semina iecit expeditionis Gog & Magog. In quem clamat sanguis ecclesiæ, gladio linguae eius miserabili perditione effusus. Quæ lingua uero, aut quis calamus posset exprimere satis, quantum sanguinis Christiani et omniū propænationū profundi curauerit Vrbanus secundus,

D d 2 ut

ut sub prætextu expeditionis pro Christiana religione propaganda, & recuperando sepulchro Domini, in sedem Romanam oppressa factione Vigbertina restitueretur; Non capit hic noster breuiculus catalogus uirtutum et actionum papistici carum, Iliada malorum, quam in ecclesiâ Christiana effudit Gregorius nonus: qui authenticum librum decretalium, uel potius sentinam stulticie & impietatis edidit: qui Friderichum secundum, principem genere, ingenio, peritia linguarum & artium, uirtutibus, præclaris operibus ornatissimum, diu indignis modis exagitauit. nam anathemate percussum, quia non uestigio imperator in Syriam euolabat iubente pontifice Romano, sed impedientibus negotijs imperij, regno priuauit, & coronato Othonem facie ad bella ciuilia prætulit. Tandem uero imperatorem profectum in Syriam, insidijs, perfidia, proditionibus, latrocinijs prosecutus est, ut Caiphas suam prophetiam ipse stabiliret, & uersus Friderichi aboleret: Roma diu titubans, longis erroribus acta

Corruet, & mundi desinet esse caput.  
Cui Caiphas, propheta temporis illius, rescripsit:  
Niteris incassum nauem summerge Petri,  
Fluctuat, ast nunquam desinet esse ratis.  
Et in ipsum Friderichum;

Fata,

Fata, inquit, uolunt, scriptura docet, peccata lo-  
quuntur;

Quod tibi uita breuis, poena perennis erit.

Igit̄ Gregorius acceptis literis, quae nunciabant Hierosolyma cum alijs quibusdam à Saladino Christiano imperatori reddita esse, furibundus abiecit eas, & per legatos Sultanū instigauit, ne redderet ex pacto illa oppida imperator. & absenti Apuliam paternā haereditatē abstulit, quā imperator coactus est ope Germanorū & Saracenorū recuperare. Atq; alijs multis rebus declarauit, quae sapientia, modestia, religio, quo d studium promouendi gloriā & religionē Christi, quis amor gregis dominici & terrae sanctæ, quae fides in Germanos principes lateat in sanctissimo scrinio pectoris uicarij Christi, imò in scatebra putei abyssi, & recessu tenebricosi pectoris regis locustarū, & angeli satanæ, qui perditio in linguis omnib. rectissimè dicitur. Quid cōmemorem ingentes, immanes aceruos mammonæ iniquitatis, cui seruiuit Ioannes 22. & propterea Deo seruire nō potuit: quid ipsius iniustas & impias persecutio[n]es contra doctrinam Christianā, & imperatore[rum] Ludeuicū Bauarū, atq; oēs qui fidē Cæsari & Deo seruare uoluerunt: Nō prætermittendus est in hoc censu, et si ualde festino, Bonifacius octauus, ex maleficis totus cōflatus, quiq; cyclopædiā satanicā ab-

Dd 3 solutē

solutē exp̄res̄sit. Vocib⁹ enim summissis, tan-  
quam cœlitus allatis, Cœlestīnū terruit, ut pon-  
tificatum maximum deponeret, ceu impar tan-  
ræ molī, quem ipse audissimē arriput. Et intra-  
uit in ecclesiam ut uulpes, imo ut fur & latro, ut  
in ea lupum ageret, nō Christi seruum, aut uica-  
rium; & exiret ut canis & molossus inter canes  
& porcos, qui foris stabunt, audituri uocem  
horrendā Domini, Abite operari iniquitatis,  
quia nescio uos. Idem Bonifacius ceremoniam  
iubilei abolitam aduentu Christi, qui perpetuū  
annum placabilem & dies salutis attulit, ipse au-  
dacter contemptis legibus apostolicis reuoca-  
uit in ecclesiam. Atq; in maximo conuentu ho-  
minum, qui Romam confluerant ob insolitā  
rem iubilei, primum pontificio, dein de impera-  
torio ornatu se exhibuit, ostentans duos gla-  
dios, & uoce altissima proclamās, Ecce duo gla-  
dij hic, ut declararet se pontificem max. & impe-  
ratorem supremum, & monarcham totius or-  
bis, instructum duobus cornibus æmulantibus  
Christi potentiam. Quasi pontifex Bonifacius  
ecclesiæ testificaretur, & saltem istud beneficiū  
cōferret: Bonifacius, & qui antecesserunt, & suc-  
cesserunt similes pontifices Rom. est antichri-  
stus magnus, qui uēturus est. Et si ueniret alius,  
non posset maiora signa dare antichristianismi,  
quām Bonifacius. Hic est Romani, tenete eum.

Hic

Hic niger est, hunc tu Germane caueto.  
Introrsus turpem, summaq; in pelle tyrannum.  
Albertū enim designatū regem ab electoribus  
principib. cōtumeliose rejecit, propterea quod  
ambitioni pontificis insaturabili non satisfaciū  
esset. Philippum autem Gallorum regem spe  
imperij laetauit, discordias inter Italiæ respu-  
blicas seminauit, & aluit magnopere: Gallis &  
Græcis de imperio Constantinopolitano cer-  
tantibus frigidam suffudit, & oleum camino lar-  
ge suppeditauit, ut ianua Othomanno aperi-  
retur ad instaurandam Turcicam dominatio-  
nem, quæ Asiam & Europam tum alijs cala-  
mitatibus attereret, tum in Machumetis im-  
piam uesaniam pertraheret. Is est Bonifacius,  
qui principes uiros è patrijs sedibus iniuste  
pepulit. De quo Platina domesticus scriptor  
testatur, quod maluerit imperatoribus, regi-  
bus, principibus, nationibus, populis terro-  
rem, quam religionem iniij cere, aurum undi-  
que cōquisitum plus quam dici potest, sitiens.  
Quid commemorem Ioannem 23. quem con-  
cilium Constantiense coēgit abdicare ponti-  
ficatum, propterea quod esset hæreticus, sy-  
moniacus, homicida, & sodomita: Et tamen  
papisticæ monarchiæ uindices audent, o sce-  
lus infandum, contendere illum fuisse legitimū  
Christi uicarium, & caput ecclesiæ, usq; ad illū  
diem,

diem, quo decreto synodi deiectus est. & ne de-  
cesset muliebris audaciæ exemplū singulare, Io-  
anna 7. pontificatum Rom. duobus annis ges-  
sit, quæ talem & tantam confusionem intulit  
ecclesiæ, ut salua grammatica & pietate nō pos-  
sim de ea scribere. Non enim fas est foeminā di-  
cere uicarium Christi, neq; patrem beatissimū  
& sanctissimum: & si dicamus matrem sanctissi-  
mam & beatissimam, peccamus in diuam uirgi-  
nem matrem Domini, cui tituli illi optimè con-  
gruunt: sicut filio ipsius benedicto conuenit, ut  
salutē pater & frater & rex & pontifex sanctissi-  
mus & beatissimus. Ut autē apud papistas con-  
grua sit oratio, non ualde laborandum est no-  
bis, siquidem illis cōueniunt, & in una sedemo-  
rantur, lux & tenebræ, ueritas & mendacium,  
religio & impietas, uirtus & abominatio, Chri-  
stus deniq; & Belial & antichristus: in quo ab-  
instanti, ut accepit personam uicarij Christi, et  
commentitij Christi, habitat omnis plenitudo  
satanicæ operationis et uersutiæ. Nec potest ma-  
gis uir bonus esse antichristus, quicquid tandem  
simulatæ beneficentiæ ostentet, quam malefica  
foemina, quæ pactum iniit cum satana hoste ge-  
neris humani, haberí potest inter bo-  
nos et honestos ciues.

Conclusio.

## CONCLV S I O.

S Igitur antichristi non sunt, qui falso titulo & nomine vicarios Christi simulat, & mentiuntur se obire munera Christi, qui ipse numero suo agit semper omne bonum in suis membris, omniaque gubernat in celo & in terra, qui nam tandem erunt: Antichristus enim est homo peccati, & filius perditionis, qui personam Christi simulat, ita quidem artificiose, ut multis Christianis persuadeat, se uerè partes Christi agere: ut sit pontifex maximus, iudex supremus, lator legum irrefragabilis, rex uniuersalis, cui debeatur monarchia totius orbis. Quum uero id uniuersum, quod ad descriptionem antichristi spectat, in pontificibus Romanis conspicuum iam sit per reuelationē uerbi diuini: scilicet adhuc pueri esse sensibus pergemus, & antichristum praesentem non agnoscemus, quia se pallijs & stolis sacris & titulis honestissimis inuoluit, cuius operationes cernimus & sentimus: Qui enim Cain parricidam non iudicat hostem Dei & piorum, & ecclesiæ totius sanctæ, is etiam Nimrodum tyrannum, & robustum uenatorem coram Domino, tales non iudicabit. Qui autem Nimrodum non iudicat antitheon, & Deo atque hominibus infestum tyrannum, si neque Pharaonem, neque Senacherib, neque

Ee Antio.

Antiochum Epimanem talem iudicabit. Por-  
rò, qui Herodem non ponit inter impios ho-  
stes Christi & ecclesiæ, nō etiam Neronem, Do-  
mitianū, Machumetem ponet inter impios per-  
secutores religionis & doctrinæ Christianæ.  
Et qui non suspicatur, non metuit, non cauet,  
non sentit, non odit pio zelo, non oppugnat  
ut antichristos, eos qui tot seculis sub falsa ima-  
gine Christi & ecclesiæ Catholicæ hostes atro-  
cissimos gesserunt: is profectò nullum antichri-  
stum sentiet, nō magis quam Turcæ: qui Gog  
& Magog sub finem mundi expectantes, quos  
Christus è cœlo in terras rediens conficiat, an-  
tichristianam tyrannidem apud se maximè ui-  
gere non animaduertunt. Adhuc sinemus im-  
poni nobis ostentatione, nescio cuius antichri-  
sti Siculi, aut Creensis, quem Cyclopes aut  
mendaciorum architecti procudant, sub cuius  
umbra latitet magnus & grossus iste antichri-  
stus. Etiam nunc Iudaicum antichristum expe-  
ctabimus, qui natus è tribu Dan Hierosoly-  
mis tyrannidem exerceat primum, ibiç se in  
templo tanquam Deum ostentet, contra quem  
Helias & Enoch & Ioannes euangelista reuer-  
si in has terras pugnent: Atqui eueniet nobis,  
quod Iudeis accidere uidemus. Quia enim nō  
recipiūt Messiam qualem scripture sanctæ de-  
scribunt, & expectant alium ex somnijs & hu-  
manis

manis segmentis conflatum, extremis miserijs sunt obnoxij. Ita nisi antichristum spectemus, qualem sacræ literæ describunt, & alium expectemus hominum commentis fictum & formatum, antichristi præda & ludibrium perpetuò erimus. Absit autem, absit procul à Christianis, quos sapere oportet, non ex hominum cōmentis, sed ex certo & explorato uerbo Dei, ut diutius ludificet ecclesiā Dei asinus iste Romanus: qui quum putaretur leo esse de tribu Iuda, terruit nimium, & eheu fabulam egit sūnestam cum iactura graui omnium rerum, atq; utinam non multarum animarum. Satis ac super datum est Minotauro. Nunc tempus est, ut Christi auspicia securi fortí animo, & legiti-mē contra hostem Christi, & ecclesię, adeoq; totius orbis pugnemus coniunctis animis & operis, siquidē de salute cōmuni agitur. Quid autē uos ô principes Christiani, et ciues uniuersi reipub. Christianæ, & domestici Dei, horter ad cauendum, & fugiendum, & oppugnandū antichristianam factionem, ad concordiam et confessionem Christianam, ad obedientiam Christi & uerbi diuini? Cupio enim hāc causam animis sedatis & tranquillis iudicari: deinde prudentia Christiana statui, quid agendū sit. Quāquam res præsentes, & tempora, & ea quæ per totam relationem tractata sunt, admonent

Ee 2 satis

satis quid factō sit opus. Itaque finem hūic scripto imponam, diligentius aliquādo scripturus de rebus Christi & antichristi, si operam nostram gratā esse pijs intellexero. Ac ne quis meticulosior fortasse adhuc Romanū pontificem suspiciat magis quām par est, faciam paucis ipsam bestiam loquentem, ut ex uerbis proprijs cognoscatur, & damnetur, & doceat ipsa quibus supplicijs & peccatis digni sint antichristiani. Nam quod Nicolaus distinctione xiii. de electione Romani pontificis decernit in antipapas, qui electo papae & in apostolica sede iuxta consuetudinem in thronisato reluctantur, id ipsum antichristis & eorum sectatoribus iure optimo congruit: qui Christi regnum & pontificatum uniuersæ ecclesiæ inuadunt, quē Christū Deus ipse unxit super montem Zion.

*Quām pul  
chrē oues  
lupo cōmit-  
tuntur.* &c. Sic enim Nicolaus papa præscribit. Eligant autem de ipsius ecclesiæ gremio, si reperitur, idoneus: uel si de ipsa non inuenitur, ex alia sumatur, saluo debito honore & reuerentia dilecti filij nostri Henrici, qui in præsentiarum rex habetur, & futurus imperator Deo concedente speratur: & iam sibi cōcessimus, sicut successoribus illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint. Quod si prauorum atq; iniquorum hominum ita peruersitas inua-  
*Hildebran-  
dus aut tur-  
piter rapuit  
quod nō pa-  
pa sed Chri-  
stus Henri-  
co III: de  
derat.* luerit, ut pura, sincera, atque gratuita fieri in urbe

urbe nō possit electio: cardinales episcopi cum religiosis clericis, catholicis & laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligendi apostolicæ sedis pontificem, ubi congruerit. Planè postquam electio fuerit facta, si bellica fuerit tempestas, uel qualiscunq; hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est, in apostolica se de iuxta consuetudinem inthronizari non ualeat, electus tamē, sicut uerus papa, obtineat au thoritatem regendi Romanam ecclesiam, & di sponēdi omnes facultates illius.

*Fuit nonnihil contentionis inter Gregorium magnū, & Mauriciū: quod hic male torquetur.*

quod beatū Gregorii ante suā consecrationem cognouimus esse. Quod si quis contrahoc decretū nostrum synodalis sententia promulgatū, quasi per seditionē uel præsumptionē, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, seu in thronizatus fuerit, autoritate diuina, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli perpetuo anathemate cum suis authoribus & fautoribus, & sequacibus, à liminib. sancte Dei ecclesiæ separatus ab̄i ciatur, sicut antichristus & inuasor, & destructor totius Christianitatis. *Quidigitur Nec aliqua super hoc ei audiētia reseruētur: sed ab omni ecclesiastico gradu, in quo cūq; fuerat prius, sine retractatione deponatur. Cui quis quis adhæserit, uel qualem cunq; tanquam pon*

*Grauiss. peccatum est in papisti ca fide obliuctari pontifici Rom. qui casus reseruatus est ipsius pa pe iudicio. At quantum scelus est filio Dei reniti, & ipsius potestati derogare?*

Ee 5 tifici

Antipapa et qualemcumque tanquam pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere eadem sententia damna presumperit, pari sententia sit mancipatus. nātur. Igitur antichristus & antichristianico turbae contra hoc statutum tentauerit, per-

petuo anathemate atque excommunicatione damnetur, & cum impijs (qui non resurgent in iudicio) reputetur: omnipotentis iram contra se sentiat, & sanctorum apostolorum Pe-

Nemo magis confundit ecclesiam, quam tri & Pauli (quorum ecclesiae ut illa, que in solenni processione siam presumit confundere) peperit.

**E**xps. 68. contra Saulinam factionē & omnes antichristianos.

in hac uita & in futura furorem sentiat. Fiat habitationis eius deserta, & in tabernaculis suis nō sit qui in

Exps. 108. contra Doeg, & Saulinos adulatores. Deinde contra Iudam & factos Christos, & inimicos ecclesie uerae.

habitetur. Fiant filii eius orphani, & uxor eius uidea. Commotus cōmouetur ipse, et filii eius mendicent, & ejciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiam foenerator omnem substantiam eius, et diripient alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra eum, et cū Scilicet sancti carnifices sunt, de- Etā elementa sint ei contraria. Et omnium sanctorum quiescentium merita illum cōfundant, functi uita. et in hac uita super eum apertam uindictam eorum ostendant. Observatores autem huius

Nemo remittit peccata nisi solus Deus. nostri decreti omnipotentes

Quod pharisaei norunt, papa & papistae ignorantis

tis gratia protegat, & authoritas beatorum apostolorum & Pauli ab omnium peccato-  
rum uinculis absoluat.

FINIS.

## ERRATVM.


Pag 153: uers. 1. principum, quos Deus instituit, afferitur. Et

H69696-4

1550. OITAVIA A. SIBILLI  
Opusculum de rebus quae in libro  
etiam de aliis opere continetur  
in quo exponuntur  
de regulis et normis.

BASILEAE

BASILEAE EX OFFI-  
CINA IOAN. OPORINI, ANN.  
M. D. XLV. Mense Martio.



Ms. A. 9. 2. fol. 152v

